



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
8
8 A
13



TESTIFICATIO CHRISTIANI ORBIS,

AB INITIO ECCLESIÆ, vſque ad Lutheri tempora,

CONTRA

VBIQVITATEM SEV OMNIPRÆSENTIAM HVMANITATIS CHRISTI.

Quam inſanè defendunt hodierni Lutherani.

COLLECTA

A LAVRENTIO FORERO
SOCIETATIS IESV
THEOLOGO.

Cum facultate & approbatione Superiorum, & Priuilegio Cæſareo.

DILINGÆ.
Formis Academicis, apud Ignatium Mayer.
ANNO CHRISTI M. DC. LVIII.





SERENISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO
CHRISTIANO AVGVSTO
COMITI PALATINO RHENI, DVCI BAVARIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ ET MONTIVM, COMITI IN VELDENZ, SPONHEIM, MARCK, RAVENSPVRG & MOERS, DOMINO IN RAVENSTEIN, &c.

Domino meo Clementissimo.

SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME.



Vod SERENITAS VESTRA *Lutheranismum*, cum *Concordia discorde*, res suas habere iusserit, & prisca sacra, cultúmque verè Ca-

tholicum, maioribus nostris per tot sæcula vsitatum, diuinâ fauente gratiâ, receperit, id non sine magno consilio, & grauissimis de causis fecit, inter quas non postremam censeo absurdissimam illius sectæ opinionem de *Omnipræsentia*, seu *Vbiquitate* Humanitatis Christi, in omnibus rebus creatis, adeóque in omni homine, pecore, lapide, ligno, dolio, cantharo, luto, & aliis, quæ non est fas nominare: quæ doctrina plerosque articulos de Christo, & summis mysteriis salutis nostræ, non modò euertit, sed etiam S. Scripturæ, & toti Orthodoxæ Antiquitati è diametro contradicit. In S. enim Scriptura non solùm clarissimè dixit Angelus: *Surrexit, non est hîc,*

ſed etiam Saluator de ſe, cùm Lazarum mortuum ſuſcitaturus eſſet, *Gaudeo*, (inquiebat) *quoniam non eram ibi.* Quomodo ergo ſecundùm Humanitatem tunc erat vbiq;, qui non erat *ibi?* Nam nemo abſolutè dicit, ſe ſimpliciter non eſſe alicubi, ſi inuiſibiliter ſit ibi. Si autem Humanitas reipſa fuit vbique, tunc non potuit ſecundùm ſubſtantiam vnum locum deſerere, & alium acquirere: Quomodo ergo potuit propriè & verè moueri de loco in locum? naſci? ambulare? in cælũ aſcendere? Quomodo etiam de Chriſto S. Scriptura eſt vera? quomodo verum eſt Symbolum?

Orthodoxa quoque Antiquitas, (vt hic Tractatus oſtendit,) tota no-

ſtrarum partium eſt contra Vbiquiſtas, qui prorſus nullum veteris æui interpretem Catholicum monſtrare indubiè poſſunt, ſuæ ſententiæ vel fautorem, vel Aſſertorem. Nos è contrario integras phalanges in campum ex antiquis ſæculis producimus; qui vno conſenſu omnes dicunt, Chriſtum, vbicunque fuit, certo fuiſſe loco circumſcriptum, & verè propriéque loco motum.

Scio & ab Vbiquitariis ad ſua ſigna vocari ex vetuſtate aliquos Doctores, ſed aut falsò, aut falſos. Ex veris enim nullum poſſunt verè: ex falſis fortè Albigenſes, aut pauperes de Lugduno, nauci homines, & damnatos olim hæreticos. Contra Orthodoxorum verò Patrum authoritatem hæc maximè

ximè opponunt. *Fides*, inquiunt, *ex auditu est*, Apoſtolo teſte: *auditus per Verbum Dei*; non ex Patribus. *Patres ipſimet nolunt ſuis ſcriptis haberi fidem, niſi quà ſcripturis conſentiunt. Fides docenda, non niſi ex fidei litteris: erraſſe eos ſæpe, ſcripta illorum teſtantur. Sæpe etiam diuerſiſsima ſenſerunt; nec ſciri poteſt, in quo omnes conſentiant. Quis enim legit omnes? plurimorum libri interierunt: permulti nihil ſcripſerunt.*

Miſeret me horum. Et nos dicimus, *Fidem eſſe ex auditu: auditum per Verbum Dei*; negamus autem ſolam Scripturam eſſe Verbum Dei. Cùm verò controuerſia oritur de ve-

ſo ſenſu Scripturæ, dicimus optimo maximo iure, præferendam eſſe interpretationem antiquæ Eccleſiæ publicæ, quam ex Patrum libris cognoſcimus, interpretationi priuatæ, & nouiter à Proteſtantibus confictæ. Cùm enim cani iſti veræ doctrinæ Principes, fuerint viciniores tempori Apoſtolico, & à Deo, vt *Doctores Eccleſiæ & Paſtores* conſtituti, (Epheſ. 4.) atque ad fidem explicandam & firmandam à Spiritu ſancto inſtructi *ſermone ſapientiæ, & ſcientiæ in vno ſpiritu*, (1. Corinth. 12.) inſuper fuerint *ſcribæ docti in regno cælorum*, (Matth. 13.) eorum ſanè iudiciũ valere plurimum debet in populo fideli; de quibus S. Auguſt. lib. 2. contra Iulianum, ait: *Epiſcopi ſunt docti,*

gra-

graues, sancti, in quibus inuenire non potes, quod spernas. Talibus enim Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit. Ergóne hi omnes fuerint talpæ, & soli Nouatores nostri Lynces? Annon SS. Patres sunt Testes integerrimi veræ fidei receptæ in Ecclesia illo tempore, quo quilibet illorum vixit? Annon salutis omnium hominum cupidissimi? sibíque inuicem doctrinam Apostolicam fidelissimè de manu in manum tradere soliti? Annon etiam hoc medio omnia Generalia Concilia cōtra hæreses pugnarunt, vt dicerent, se in Scripturis explicandis, & fidei dogmatibus definiendis, *SS. Patrum confessiones, interpretationes & vestigia sequi?*

qui? Annon ad eosdem Patres ipsi Aduersarij confugiunt, quando ipsi inter se de Scripturæ aliquo loco contendunt? quando Socinianos, Arminianos, & alios oppugnant?

Itaque SS. Patrum testimonia magni sunt ponderis, & existimationis in articulis fidei; vt si vnanimiter consentiant, errare non possint: Si quando errarunt, in materia nondum liquidò definita ab Ecclesia errarunt, aut vt priuati & singulares, aut de quæstionibus Philosophicis.

At dixerunt, se nolle sibi fidem haberi. Ita est: dixerunt? sed sensus est, illos nolle sibi solis fidem haberi; nō autem si cum aliis omnibus consentiant. Omnes enim communem cōsensum maximi æstimarunt. Non insani-

ſaniuerunt, vt Lutherus, qui * *ſuam doctrinam à nemine iudicari voluit, ne ab Angelis quidem.* Modeſtiores longè fuerunt. Noluerunt ſua verba Canonicis Scripturis æquari: nō autem voluerunt ipſi ab omni authoritate & fide repelli conſentientes. In SS. Scripturis omnia dicta ſunt vera: in Patrum libris illa ſunt vera, quæ in materia de fide concorditer docent; in quibus certum eſt, eos à S. Scriptura nullo modo diſcordare; neque vnquam errare. Sed & falſum eſt, non poſſe ſciri eorum conſenſum, quòd plurimi libri eorum perierint, & multi eorum nihil ſcripſerint; alioqui nec SS. Scripturæ conſenſus cognoſceretur, cuius multi libri amiſſi

* Im 7. Theil am 330. Blat / f. 1. durch Hans Lufft. Im Jahr 1554.

missi sunt; Apostolorum verò magna pars nihil omninò scripto reliquit.

Hæc considerans S. Augustinus contra 2. Epist. Pelagian. lib. 4. cap. 8. ait: *Ad curam nostram existimo pertinere, non solùm Scripturas S. Canonicas aduersus eos* (nempe Pelagianos) *testes adhibere, verùm etiam de Sanctorum litteris, qui Scripturas ante nos famâ celeberrimâ, & ingenti gloriâ tractauerunt, aliqua documenta afferre.* Causam mox addit: *Vt admoneantur, qui putant istos* (Pelagianos) *aliquid dicere, quemadmodum de his rebus ante istorum vaniloquia, Catholici Antistites eloquia diuina secuti sint; & sciant à nobis rectam,*

&

& antiquitùs fundatam Catholicam fidem aduersus recentem Pelagianorum (& Vbiquistarum) *hæreticorum præsumptionem, perniciémque defendi.*

Et hic meus scopus fuit in hoc Tractatu, quo contra Vbiquistarum deliria, tot antiquorum Patrum testimonia collegi, vt omnes viderent, Vbiquitanos à veneranda primæ Christianitatis, & plurimorum sæculorum canitie quàm longissimè discedere, & ab illa antè damnatos esse, quàm ipsi scriberent tam absurdos errores. Equidem sanctos Patres negligenter legisse Scripturas, ac illas ob cæcitatem mentis non intellexisse, & parum fideliter posteritati tradidisse, impium sit cogitare.

Hunc

Hunc ergo Tractatum ſub auſpiciis SERENITATIS VESTRÆ in publicum emitto, eiúſque Sereniſſimo Nomini conſecro, non ſine magna ſpe tutelæ: Neque enim Catholicam fidem eo fine SERENITAS VESTRA amplexa eſt, vt eam ſua authoritate tueri aduerſus tam monſtroſa dogmata refugiat. Deum ſummis precibus oro, vt hunc reditum SERENITATIS VESTRÆ ad auitam religionem, ipſi inprimis ad animæ ſuæ, deinde ad aliorum plurimorum æternam ſalutem prodeſſe, & bono publico, pacique Germaniæ benè feliciterque euenire velit iubeátque.

Maximum ſanè Dei beneficium eſt, à tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem, ab auiis & deuiis ad

rectam viam reduci. *Cæcus eram*, ait S. Augustinus, *& cæcitatem amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam. Quis est ille Illuminator meus, quem non quæsiui, & ipse quæsiuit me? Quis est ille? Tu Domine Deus meus, misericors & miserator. Tu, qui eduxisti me de tenebris & vmbra mortis, & vocasti me in admirabile lumen tuum. Et, ecce! video. Gratias tibi, Illuminator meus, O Deus meus. Confitebor tibi in nationibus Domine, & psalmum dicam nomini tuo in æternum; in æternum.* Huiusmodi preces sunt quotidianæ SERENITATIS VESTRÆ ad supremam Numinis Maiestatem,

qui-

quibus illa benignas aures exhibeat, & efficiat, vt SERENITAS VESTRA maximum sibi ad omnem pietatem & virtutem in terris; & in cælo adamplitudinem gloriæ ingens afferat incrementum. Valeat SERENITAS VESTRA & viuat in Christo IESV felicissimè ac florentissimè. Ratisbonæ die festo S. Michaëlis Archangeli, die 29. Septembr. 1657.

SERENITATIS VESTRÆ

Humillimus in Christo seruus

Laurentius Forerus S. I.

BREVIS INDEX.



PRÆFATIO AD Lectorem.

HVmanissime Lector: Dudum promiseram publico, Testificationem hanc Christiani Orbis, contra Lutheranorum Vbiquistarum horribilem doctrinam de Omnipræsentia Humanitatis Christi, sed variis hactenus remoris impeditus promissa seruare non potui. Nunc tandem fidem libero, & vltra centum venerandos Patres ac auctores orthodoxos ex omnibus sæculis collectos produco, quorum nemo naturam humanam Christi non loco & terminis circumscripsit, nemo illam omnipræsentem cum Diuinitate, omnibus rebus totius mundi vbique adesse docuit, vt meritò hic sensus Patrum per tot sæcula pro vnanimi consensu vniuersæ Antiquitatis Christianæ atq; Catholicæ haberi & prædicari possit: præsertim cùm idem quoque reperiatur in Decretis duorum Concilio-

ciliorum Generalium, quibus ingens numerus Episcoporum rectè credentium subscripsit; à quibus vel pilum discedere Orthodoxi Patres semper summæ sibi duxerunt religioni. Sic enim loquitur Chalcedonensis Synodus sexcentorum & triginta Patrum in fidei definitione, parte 2. Actione 5. pag. 340. apud Dionysium Petauium Tomo 4. Dogmatum Theolog. vbi etiam citat Græcum Textum: Sequentes sanctos Patres, vnum & eundem confiteri Filium D. N. IESVM Christum consentientes omnes docemus, perfectum eundem in Diuinitate, & perfectum eundem in Humanitate, Deum reuerà, & hominem reuerà eundem, ex anima rationali & corpore; consubstantialem Patri secundùm Diuinitatem, & consubstantialem nobis secundùm Humanitatem, per omnia similem nobis, absque peccato.

Et rursus idem Chalced. Concilium: Ex duabus, *inquit*, naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter agnoscendum, ita vt nusquam natu-

rarum differentia vnione tollatur; sed proprietas magis naturæ vtriusque seruetur, & in vnam personam & hypostasin concurrat; non in duas personas partitum aut diuisum, sed vnum & eundem Filium, & vnigenitum Deum, Verbum, Dominum IESVM Christum.

Similiter clarissimè Ephesina Synodus, cap. 13. Canonum ait: Christum constare ex duabus naturis, non euacuata, vel sublata naturarum diuersitate per coniunctionem, &c. *Quibus verbis ostendunt ista Concilia, naturam humanam in Christo per vnionem personalem ita esse Verbo copulatam, vt tamen prorsus in se retinuerit integras proprietates naturæ suæ creatæ ac corporeæ: adeòque verè ac propriè de loco in locum transferri ac moueri potuisse; & cùm ex se sit circumscripta loco, sicut omnia alia corpora, etiam non amittere hanc circumscriptionem; ideóque verum non esse, vt eadem nullo modo mutata in se natura, simul sit in certo loco localiter, & tamen etiam Vbique, & in omnibus locis illocaliter & inuisibiliter, vt fuisse*

se dicunt Vbiquistæ Christum, dum esset in vtero Beatæ Virginis, in præsepio, in templo, &c. vbi ex Scripturis constat eum fuisse visibiliter, & tamen Vbiquistæ dicunt eodem tempore & loco, etiam fuisse secundùm idem corpus inuisibiliter, & incircumscriptè in eodem vtero B.Virginis, & extra, quæ est manifesta contradictio; & in hoc Christus secundùm humanam naturam plurimùm differret à nostra natura, quod est contra Sacra Concilia.

Hanc Catholicam doctrinam fusiùs explicabimus, Deo iuuante, in hoc Tractatu, primò testimoniis S. Scripturæ, cum solutione aliquot contrariorum argumentorum: deinde testimoniis SS.Patrum cum Annotationibus, ab initio Christianitatis vsque ad annum circiter 1520.

TESTIMONIA S. SCRIPTVRÆ MANIFESTA, CONTRA VBIQVITATEM HVMANITATIS CHRISTI.

PRIMO SÆCVLO.

S. Matthæus Euangelista, cap. 28. v. 5. & 6.



Scio, quòd IESVM crucifixum quæritis. NON EST HIC. Surrexit enim, sicut dixit: Venite, & videte locum, VBI positus ERAT Dominus. *Et c. 28. v. 7.* Præcedet vos in Galilæam. *v. 9. ibid.* IESVS occurrit illis. *v. 18.* Accedens IESVS, locutus est eis.

S. Marcus, cap. 16. v. 6. & 7.

IESVM quæritis Nazarenum crucifixum. Surrexit, NON EST HIC, & præcedet vos in Galilæam. *Item.* Et Dominus quidem IESVS postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris DEI. *ibid. v. 19.*

S. Lu-

S. Lucas, cap. 24. v. 6.

NON EST HIC: sed surrexit; *& v. 30.* & intrauit cum illis. *Et v. 52.* Dum benediceret eis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.

S. Ioannes, cap. 11. v. 15.

Gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non ERAM IBI, sed eamus ad eum. *& c. 14. v. 2. & 3.* Vado parare vobis locum; & si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. *& c. 20. v. 26.* Venit IESVS ianuis clausis, & stetit in medio.

S. Lucas, Actor. 1. v. 9.

Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorũ. Cúmque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis; qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic IESVS, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.



PROLEGOMENA.

§. I.

Euertitur ex his Scripturis error Vbiquistarum.

EX istis, aliisque pluribus locis S. Scripturæ euidentissimum est, Christum secundùm humanam naturam, tam ante, quàm post resurrectionem, de vno loco in alterum, verè, propriéque migrasse, & localiter motum esse, ita, vt derelicto vno spatio, in quo fuit, aliud spatium, in quo non fuit, occupauerit. Hoc enim apud omnes gentes significant propriè ista, & similia vocabula, (*nasci, egredi, ingredi, recedere, accedere, venire, abire, ire, migrare, ascendere, descendere, ferri in altum, eleuari, non esse hic*, &c.) quibus omnibus vtitur S. Scriptura sępissimè de Christo loquens. Nec aliter tota Christiana Antiquitas Scripturas, nisi de motu locali proprio, ex communi sensu omnium gentium & populorum, est interpretata, per quem localem *motum*, propriè dictum, omnes simpliciter & abso-

absolutè intelligunt, aliquid secundùm suam substantiam & existentiam veram ex aliquo loco migrare in alium, quod est vnum deserere, & alium acquirere. Ergo non potest sine palpabili falsitate, & summo absurdo dici, Christi Humanitatem à primo puncto Conceptionis suæ, propter Vnionem hypostaticam, in omni prorsus loco, & in omnibus creaturis, in cælo, in terra, in mari, atque in ipso Inferno præsentem fuisse, vt dicunt Vbiquistæ: quia non posset dici, Christum verè & propriè ex vtero Virginis secundùm suam substantiam vnquam prodiisse; verè & propriè localiter motum esse; verè & propriè ambulasse, aut portatum esse in Ierusalem, in Ægyptum, &c.

Probatur consequentia: Quod enim ex vno loco A. secundùm suam substantiam, mouetur localiter in alium locum B. illud necessariò priorem locum A. deserit, in quo fuit; & acquirit locum B. in quo non fuit. Hoc enim est de essentia, & intrinseca ratione motûs localis propriè dicti, iuxta communem omnium hominum sensum, vt mobile per motum localem transeat ab aliquo termino à quo, ad aliquem alium terminum ad quem, quorum priorem deserit, & posteriorem acquirit.

Sed impossibile est, vt id, cuius substan-

quibus illa benignas aures exhibeat, & efficiat, vt SERENITAS VESTRA maximum sibi ad omnem pietatem & virtutem in terris; & in cælo ad amplitudinem gloriæ ingens afferat incrementum. Valeat SERENITAS VESTRA & viuat in Christo IESV felicissimè ac florentissimè. Ratisbonæ die festo S. Michaëlis Archangeli, die 29. Septembr. 1657.

SERENITATIS VESTRÆ

Humillimus in Christo seruus

Laurentius Forerus S. I.

BREVIS INDEX.



PRÆFATIO AD Lectorem.

HVmanißime Lector: Dudum promiseram publico, Testificationem hanc Christiani Orbis, contra Lutheranorum Vbiquistarum horribilem doctrinam de Omnipræsentia Humanitatis Christi, sed variis hactenus remoris impeditus promissa seruare non potui. Nunc tandem fidem libero, & vltra centum venerandos Patres ac auctores orthodoxos ex omnibus sæculis collectos produco, quorum nemo naturam humanam Christi non loco & terminis circumscripsit, nemo illam omnipræsentem cum Diuinitate, omnibus rebus totius mundi vbique adesse docuit, vt meritò hic sensus Patrum per tot sæcula pro vnanimi consensu vniuersæ Antiquitatis Christianæ atq; Catholicæ haberi & prædicari poßit: præsertim cùm idem quoque reperiatur in Decretis duorum Concilio-

cilio-

ciliorum Generalium, quibus ingens numerus Episcoporum rectè credentium subscripsit; à quibus vel pilum discedere Orthodoxi Patres semper summæ sibi duxerunt religioni. Sic enim loquitur Chalcedonensis Synodus sexcentorum & triginta Patrum in fidei definitione, parte 2. Actione 5. pag. 340. apud Dionysium Petauium Tomo 4. Dogmatum Theolog. vbi etiam citat Græcum Textum: Sequentes sanctos Patres, vnum & eundem confiteri Filium D. N. IESVM Christum consentientes omnes docemus, perfectum eundem in Diuinitate, & perfectum eundem in Humanitate, Deum reuerà, & hominem reuerà eundem, ex anima rationali & corpore; consubstantialem Patri secundùm Diuinitatem, & consubstantialem nobis secundùm Humanitatem, per omnia similem nobis, absque peccato.

Et rursus idem Chalced. Concilium: Ex duabus, *inquit*, naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter agnoscendum, ita vt nusquam natu-

rarum differentia vnione tollatur; sed proprietas magis naturæ vtriusque seruetur, & in vnam personam & hypostasin concurrat; non in duas personas partitum aut diuisum, sed vnum & eundem Filium, & vnigenitum Deum, Verbum, Dominum IESVM Christum.

Similiter clarissimè Ephesina Synodus, cap. 13. Canonum ait: Christum constare ex duabus naturis, non euacuata, vel sublata naturarum diuersitate per coniunctionem, &c. *Quibus verbis ostendunt ista Concilia, naturam humanam in Christo per vnionem personalem ita esse Verbo copulatam, vt tamen prorsus in se retinuerit integras proprietates naturæ suæ creatæ ac corporeæ: adeòque verè ac propriè de loco in locum transferri ac moueri potuisse; & cùm ex se sit circumscripta loco, sicut omnia alia corpora, etiam non admittere hanc circumscriptionem; ideóque verum non esse, vt eadem nullo modo mutata in se natura, simul sit in certo loco localiter, & tamen etiam Vbique, & in omnibus locis illocaliter & inuisibiliter, vt fuisse

se dicunt Vbiquistæ Christum, dum esset in vtero Beatæ Virginis, in præsepio, in templo, &c. vbi ex Scripturis constat eum fuisse visibiliter, & tamen Vbiquistæ dicunt eodem tempore & loco, etiam fuisse secundùm idem corpus inuisibiliter, & incircumscriptè in eodem vtero B.Virginis, & extra, quæ est manifesta contradictio; & in hoc Christus secundùm humanam naturam plurimùm differret à nostra natura, quod est contra Sacra Concilia.

Hanc Catholicam doctrinam fusiùs explicabimus, Deo iuuante, in hoc Tractatu, primò testimoniis S. Scripturæ, cum solutione aliquot contrariorum argumentorum: deinde testimoniis SS.Patrum cum Annotationibus, ab initio Christianitatis vsque ad annum circiter 1520.

TESTIMONIA S. SCRIPTVRÆ MANIFESTA, CONTRA VBIQVITATEM HVMANITATIS CHRISTI.

PRIMO SÆCVLO.

S. Matthæus Euangelista, cap. 28. v. 5. & 6.

SCio, quòd IESVM crucifixum quæritis. NON EST HIC. Surrexit enim, sicut dixit; Venite, & videte locum, VBI positus ERAT Dominus. *Et c. 28. v. 7.* Præcedet vos in Galilæam. *v. 9. ibid.* IESVS occurrit illis. *v. 18.* Accedens IESVS, locutus est eis.

S. Marcus, cap. 16. v. 6. & 7.

IESVM quæritis Nazarenum crucifixum. Surrexit, NON EST HIC, & præcedet vos in Galilæam. *Item.* Et Dominus quidem IESVS postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris DEI. *ibid. v. 19.*

S. Lu-

S. Lucas, cap. 24. v. 6.

NON EST HIC: ſed ſurrexit; *& v. 30.* & intrauit cum illis. *Et v. 52.* Dum benediceret eis, receſſit ab eis, & ferebatur in cælum.

S. Ioannes, cap. 11. v. 15.

Gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non ERAM IBI, ſed eamus ad eum. *& c. 14. v. 2. & 3.* Vado parare vobis locum; & ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis. *& c. 20. v. 26.* Venit IESVS ianuis clauſis, & ſtetit in medio.

S. Lucas, Actor. 1. v. 9.

Videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorũ. Cúmque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis; qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic IESVS, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.



PROLEGOMENA.

§. I.

Euertitur ex his Scripturis error Vbiquiſtarum.

EX iſtis, aliiſque pluribus locis S. Scripturæ euidentiſſimum eſt, Chriſtum ſecundùm humanam naturam, tam ante, quàm poſt reſurrectionem, de vno loco in alterum, verè, propriéque migraſſe, & localiter motum eſſe, ita, vt derelicto vno ſpatio, in quo fuit, aliud ſpatium, in quo non fuit, occupauerit. Hoc enim apud omnes gentes ſignificant propriè iſta, & ſimilia vocabula, (*naſci, egredi, ingredi, recedere, accedere, venire, abire, ire, migrare, aſcendere, deſcendere, ferri in altum, eleuari, non eſſe hîc*, &c.) quibus omnibus vtitur S. Scriptura ſæpiſſimè de Chriſto loquens. Nec aliter tota Chriſtiana Antiquitas Scripturas, niſi de motu locali proprio, ex communi ſenſu omnium gentium & populorum, eſt interpretata, per quam localem motum, propriè dictum, omnes ſimpliciter & abſo-

absolutè intelligunt, aliquid secundùm suam substantiam & existentiam veram ex aliquo loco migrare in alium, quod est vnum deserere, & alium acquirere. Ergo non potest sine palpabili falsitate, & summo absurdo dici, Christi Humanitatem à primo puncto Conceptionis suæ, propter Vnionem hypostaticam, in omni prorsus loco, & in omnibus creaturis, in cælo, in terra, in mari, atque in ipso Inferno præsentem fuisse, vt dicunt Vbiquistæ: quia non posset dici, Christum verè & propriè ex vtero Virginis secundùm suam substantiam vnquam prodiisse; verè & propriè localiter motum esse; verè & propriè ambulasse, aut portatum esse in Ierusalem, in Ægyptum, &c.

Probatur consequentia: Quod enim ex vno loco A. secundùm suam substantiam, mouetur localiter in alium locum B. illud necessariò priorem locum A. deserit, in quo fuit; & acquirit locum B. in quo non fuit. Hoc enim est de essentia, & intrinseca ratione motûs localis propriè dicti, iuxta communem omnium hominum sensum, vt mobile per motum localem transeat ab aliquo termino à quo, ad aliquem alium terminum ad quem, quorum priorem deserit, & posteriorem acquirit.

Sed impossibile est, vt id, cuius substan-

tia Vbique eſt, & Vbique eſſe ponitur, quà tale, & manens tale, deſerat vnum locum A. per ſuam ſubſtantiam, & acquirat alium B. & tamen eodem tempore ſimul ſit & maneat in A. & in B. per ſuam ſubſtantiam. Eſſet enim ſecundùm ſuam ſubſtantiam ſimul eodem tempore in A. & in B. imò Vbique, ex hypotheſi Vbiquiſtica; & non eſſet in A. neque Vbique; quia deſeruit locum A. quem habuit, & adeptus eſt locum B. quem non habuit, ſed per motum localem acquiſiuit. Quæ eſt apertiſſima contradictio.

Si ergo Chriſti Humanitas à primo puncto cóceptionis ſecundùm ſubſtantiam ſuam fuit Vbique, etiam extra vterum matris, ſimpliciter & abſolutè in omnibus locis; tunc Chriſtus ſecundùm ſubſtantiam verè & reipſa non potuit naſci, atque ex eodem vtero verè egredi, & illum deſerere; atque in ſtabulo locum nouum adipiſci, quem antè non habuerit; neque in Ieruſalem, in Nazareth, in Ægyptum portari, neq; vnquam aut vſquam propriè moueri localiter, *ire, venire, tranſire*, aut ad alium locum migrare: quæ omnia cum Euangelio è diametro pugnant; quia in omnibus iſtis locis ſecundùm ſuam ſubſtantiam iam priùs fuiſſet; & vterum B. Virginis ſecundùm ſubſtantiam ſuam non deſeruiſſet, adeóque natus non fuiſſet. Et ſic Scripturæ

eſſent

essent ridiculæ, falsæ & absurdæ in plurimis rebus de Christo; quæ tamen sunt liquidissimæ & limpidissimæ; vt Matth. 2. v. 1. 2. *Cùm natus esset Iesus in Bethlehem*, &c. &, *Vbi est, qui natus est Rex Iudaeorum?* &c. Item, *Surrexit, non est hîc*. Marci 16. v. 6. *Cùm vidissent turba, quòd Iesus non esset ibi*. Ioan. 6. 24. *Gaudeo, quòd non eram ibi*. Ioan. 11. 15. At quomodo Scriptura absolutè & simpliciter dicit talia de Christo, (*Non est hîc, non erat ibi*) si reipsa fuit Vbique, quamuis per alium præsentiæ modum, nempe inuisibilem, attamen verum & realem?

Quòd si dicant, Scripturam esse ita intelligendam, vt sensus sit, *Christus non est hîc*, vel, *non erat ibi, localiter & visibiliter*, sic concedimus; negamus autem, si sensus sit, *Christus non est hîc, illocaliter, seu inuisibiliter*, &c. illocaliter enim & inuisibiliter fuit Vbique, & secundùm hanc præsentiam non potuit propriè moueri; secùs secundùm localem.

Sed contrà est, quòd *Negatio*, iuxta regulam Logicæ, est *malignantis natura*, & neget omnia post se posita. Ergo negatio absoluta præsentiæ Christi, quando Angelus in Scriptura dicit, *Non est hîc*, & Christus, *Non eram ibi*, &c. excludit omnem præsentiam etiam inuisibilem & illocalem; alioqui possemus etiam absolutè negare ac dicere, Christum nõ esse in Eucharistia; quia non est ibi visibili-

ter, licèt sit sacramentaliter ibi: quod Vbiquistis repugnat. Nam si Christus saltem inuisibiliter fuit in sepulchro, & tamen Angelus rectè dixit simpliciter & absolutè, *Non est hic*; cur non etiam liceat de pane Eucharistico Lutherano dicere absolutè & simpliciter, *Christi Corpus non est ibi præsens?*

Neque hîc Vbiquistæ audiendi sunt, qui dicunt, humanam sapientiam & naturalem rationem in Theologia negligendam esse, neque ad hanc trutinam mysteria diuina esse examinanda. Hoc enim quilibet nouator, impostor ac fanaticus posset nouis suis dogmatibus prętendere, & sic sua somnia Orbi, in quæstionibus salutis obtrudere, omnémque rationem pedibus conculcare, quod nec ipsi Aduersarij possunt admittere. Quasi verò *lumen illud vultus diuini*, quod *à Deo signatum est super nos*, (Psalmo 4.) sit adeò in nobis obfuscatum, vt non etiam sæpiûs ancillari adhuc possit, ac rectè seruire Theologiæ? Annon ipsi quoque Aduersarij sæpissimè in materia fidei ratiocinantur, & discursus ex ratione producunt? Quasi verò si secundùm lumen rectum naturæ verum est, non posse fieri propriè dictum motum localem corporis, nisi id de loco, in quo est, transeat in locum secundùm suam substantiam, in quo non est; id in Theologia falsum sit? profectò verum vero

non

non aduersatur, sed vbique cum illo amicè conspirat: neque in Theologia admitti potest, quod euidenter impossibile & falsum est, sicuti euidēter est falsum & impossibile, quod aliquod corpus existens Vbique, de loco in locum moueatur verè ac propriè, & tamen priorem locum non deserat, nec alium nouum acquirat secundùm suam substantiam.

Neque potest dici, motum Christi fuisse tantùm apparentem, seu phantasticum, non verum, nec propriè dictum; sicuti, quando Scriptura dicit, Filium Dei *descendisse* in vterum Virginis: quia hæc responsio de motu apparente, Scripturam contra regulam SS. Patrum, pessimè detorquet ad improprium sensum, sine vlla necessitate, & euertit omnem veritatem Scripturæ S. de Christo. Longè alia ratio est *descensus Dei* in vterum Virginis; quia ibi necessitas cogit, descensum improprium intelligere; cùm Deus propriè ob suam Immensitatem & Omnipræsentiam sit immobilis, & de vno loco in alium migrare, aut moueri nō possit: si ergo & Humanitas Christi esset omnipræsens, nec ipsa moueri propriè & verè posset; quia nullum locum deserere, nullum acquirere posset de nouo secundùm substantiam.

Et hoc adamantinum argumentum in S. Scriptura fundatum de motu locali, Vbiqui-

stæ nunquam soluerunt, licèt illis sæpe obiectum fuerit à Bellarmino, Gretsero, Becano, Tannero, & aliis; quibus magnis Viris meritò adiungo magnum quoq; Theologum Romanum Martinum de Esparza, nunc Romæ Theologiæ Professorem, qui quid de vi argumenti huius sentiat, sic nuper 22. Januar. anno 1657. in priuato scripto declarauit, his verbis. *Censeo istud argumentum esse omninò efficax, & concludere intentum insuperabiliter. Quia loca Scripturæ, quibus nititur, non adscribunt Christo Domino vtcunque, & qualescunque motus locales, sed tales & taliter, vt eis verificandis sit necessaria præsentia eius noua in quibusdam locis, & absentia in quibusdam aliis, non solùm quoad modum aliquem peculiarem, sed etiam quoad substantiam secundùm se. Sicut enim conceptio fœtus in vtero, non est adquisitio solius noui modi præsentiæ in illo, sed est noua existentia substantiæ fœtus in ipso, nullatenus, nullóque modo præexistentis in eodem pro tempore antecedenti: ita Natiuitas non est adquisitio solius cuiusdam noui modi Vbicationis extra vterum, sed est existentia ipsius substantiæ extra vterum, ita vt antecedenter non esset vllo modo extra eundem; idque eâdem prorsus ratione, qua generatio cuiuslibet alterius substantiæ non est adquisitio noua Vbicationis, sed noua existentia ipsius substantiæ secundùm se. Idē suo modo dicitur de Ascensione & Descensione;*

de

de ingressu & egressu; de profectione ab vno loco, & peruentione in alium, deque similibus simpliciter & absolutè prolatis, & non cum restrictione, ad modum aliquem peculiarem; qualis restrictio procul dubio adhibenda foret in propositione enuntiante aduentum, vel profectionem Christi Domini, respectu loci occupati per species consecratas, quo proinde exemplo aliqui malè vtuntur aduersus argumentum prædictum.

Multò verò manifestius quodammodo est hoc ipsum de absentia alicuius ab aliquo loco. Quia dici non potest simpliciter & absolutè, aliquem abesse ab eo loco, cui verè & realiter est præsens, secundùm aliquem vera & realis præsentiæ modum, licèt eidem ibidem desit quidam alius præsentiæ modus: Alioqui dici posset, Christum non adesse sub speciebus consecratis: dici, inquam, posset simpliciter & absolutè: quia ibi non habet præsentiam circumscriptiuam, cum restrictione & determinatione partis locati ad partem spatij: quod tamen est absurdissimum & hæreticum, vt patet. Cùm igitur eiusmodi sint, quæ dicuntur de Christo Domino in locis Scripturæ, quibus nititur argumentum, de quo quæritur, patet ipsum esse efficacissimum & ineluctabile; atque interpretationem; quæ (in contrarium) adhibetur per duplicem Vbicationis modum, esse talem, quales esse solent interpretationes aliæ Aduersariorum ad testimonia Scripturæ, quibus probantur alia quæcunque mysteria no-

stra

stra fidei; nempe esse manifestè violentam, ac absurdam, atque omnino alienatiuam à legitimo & genuino sensu S. Scripturæ; qualis euasio nunquam deesse potest hæreticis, pro vllo argumento assumpto ab authoritate. Confirmatur in eodẽ scripto eiusdem Patris: *Istud Argumentum*, inquit, *est hoc ipso non cõtemnendum, quod cogit Aduersarium*, prout omnino cogit præsens argumentum, *ad accommodandum testimonus Scripturæ sensum abhorrentem à communi & ordinario loquendi ac intelligendi modo, & quem verba ipsa nequaquam præ se ferunt, & cui proinde defendendo ac stabiliendo necesse sit, iuxta celebrem regulam Augustini de interpretandis Scripturis, producere testimonium aliud eiusdem Scripturæ, vel rationem euidentem, quæ cogat ad violentam eiusmodi intelligentiam. Quod vt possibile sit in re præsenti, facile certè non est; neq; verò idem est, argumentum esse facile solutu, & facilè dici ad illud posse futile aliquid, quódque nullo fundamento satis persuadeatur, sed dicatur præcisè ad tuendum positum, atq; appareat clarè dicendum minimè fuisse independenter à præiudicio malè fundato. Cùm ergo huiusmodi sit, quod respondetur ad prædictum argumentum, de motu locali, vt patet, clarè apparet, ipsum esse dignissimum, quod typis mandetur.* Ita P. Esparza; nec dissentit P. Sforza Pallauicinus ibidem.

1. Putant quidem aliqui Vbiquistæ, se suffi-

sufficienter respondisse, & ab omni difficultate se liberasse; si dicant, vt suprà monui, Christum habere duas præsentias, vnam visibilem & localem; alteram inuisibilem & illocalem; per visibilem moueri, per inuisibilem Vbique esse corpus Christi, & manere.

Sed nihil dicunt. 1. Nos non disputamus de modis existendi in loco, & accidentibus substantiæ, vt rectè Becanus vrget in Manuali suo, sed de ipsa substantia secundùm se; vtrùm illa sit mobilis loco, si sit Vbique; & possit simul vnum locum verè deserere, & alium locum acquirere secundùm se; & tamen etiam post motum in primo loco manere secundùm substantiam, & in altero iam antè fuisse: adeóque in omni loco, vbi existit eadem substantia visibiliter, simul existere inuisibiliter? quæ duæ præsentiæ (*visibilis, & inuisibilis,*) contradictoriè opponuntur, & simul in eodem subiecto, & in eodem loco & tempore poni non possunt; quomodo ergo Vbiquistarum euasio habet locum?

2. Si eodem momento, quo cœpit Humanitas Christi esse secundùm substantiam localiter & visibiliter in vtero B. Virginis, eadem etiam cœpit omnipræsens esse illocaliter & inuisibiliter in omnibus aliis rebus, & locis extra vterum B. Virginis, tunc per aliquam actionem in illis omnibus rebus, & locis præ-

sens fuisset constituta. Necesse est enim, vt interueniente aliquo medio seu actione, in omnes alias res totius mundi extra vterum B. Virginis saltem illocaliter & inuisibiliter translata & constituta fuerit; sicuti in ipso vtero B.V. constituta fuit.

Nulla autem alia actio assignari potest, quàm actio generatiua, & vnitiua in vtero B. Virginis. Quomodo autem fieri potuit, vt vna eadémque indiuisa actione, duo tam contrarij termini producerentur, nempe Humanitas localis, visibilis & circumscripta in vtero B. Virginis, Verbóque diuino hypostaticè vnita: & illocalis, inuisibilis, & incircumscripta, tam intra, quàm extra vterum B. Virginis in omnibus aliis rebus totius mundi?

Ex quo 3. sequitur: Humanitatem Christi non tantùm in vtero B. Virginis esse conceptam, sed & in vtero Herodiadis & aliarum fæminarum. Ibi enim concepta est Humanitas Christi, vbi per actionem generatiuam constituta est primò præsens: At Humanitas Christi secundùm Vbiquistas, per eandem actionem generatiuam, & eodem momento, constituta est etiam extra vterum B. Virginis Vbique, & in omnibus rebus, illocaliter & inuisibiliter primò præsens. Ergo.

II. Aliqui Vbiquistæ sic distinguunt, Christum quidem, *quoad possessionem*, fuisse V-

bique

bique & in omni loco, à puncto Conceptionis, propter Vnionem hypostaticam; *quoad vsum* verò, & *manifestam patefactionem suæ maiestatis*, seu in *actu secundo*, cœpisse primùm Vbique esse in Resurrectione, seu Ascensione.

Sed hanc quoque distinctionem nauci, & nihili esse probo. 1. Quia probare nequeunt, à Christi Humanitate, nunc post Ascensionem, magis manifestari illam Omnipræsentiam illocalem & inuisibilem, quàm antea: Cui enim hominum illa modò magis innotescit, quam nemo penitùs neque olim vidit, neque nunc, cùm sit inuisibilis, videt?

2. Omnipræsentia est tale attributum Dei, vt eius propria ratio in ipso *vsu*, & *actu secundo* posita sit, non autem in aliqua *potentia*, seu *actu primo*. Vbique enim Deum præsentem esse, est ipse *vsus*, & *actus secundus immensitatis Dei*: vt optimè probat Valentia, lib. 1. contra Vbiquitarios, cap. 6. circa medium. Deus enim non potest non vbique actualiter existere: sed infallibiliter, inseparabiliter, ac necessariò cõiungitur, & coëxistit *actu secundo*, seu *vsu* omnibus rebus. In Deo enim *actus primus* & *secundus* in re non discernuntur, sed tantùm in consideratione nostri intellectus, proinde *esse*, *posse*, *operari* in Deo non nisi nostro concipiendi modo distincta sunt, & fieri nequit, vt Humanitas Christi habeat, vel vni-

eo puncto in se formaliter Omnipræsentiam, & à parte rei non actu ipso secundo sit formaliter omnipræsens. Deus enim & attributa diuina sunt essentialiter actus secundus: nihil vsquam potentialitatis aut priuationis est à parte rei; nihil quod alicuius imperfectionis indicium sit, propter eminentissimam essentiæ diuinæ perfectionem. Quare si realiter in primo puncto conceptionis Humanitati Christi cõmunicata est Omnipręsentia diuina, non potest non eadem Humanitas, stante hac communicatione Vbiquistica, fuisse realiter, & *in actu secundo* perfectissimè omnipræsens. Attributa enim Dei sunt omnia & singula ipsa Dei substantia. Dei autem substantia non potest habere rationem *actus primi*. Quòd si quid interdum in Deo per modum *actus primi* concipimus, id imbecillitas nostræ est mentis, & actu reflexo corrigitur; nec locum habet in omnibus, sed in iis tantùm attributis, in quibus actualitas aliquâ cum ratione, & ad creaturas analogiâ concipitur, vt est Omnipotentia, Misericordia, &c. Quare nullo modo huc quadrat ista distinctio *possessionis* & *vsus*?

III. Alij respondent, Humanitatem Christi in statu humiliationis etiã *actu secundo* fuisse Omnipræsentem; sed *actu personæ*, non autem *actu naturæ*. Et hæc est etiam hodie Wirtenbergicorum distinctio, quam refutaui in


Manua-

Manuali Lutheranorum, part. 2. c. 3. §. 3. Profectò isti aut nesciunt, quid loquantur, aut inepte loquuntur.

Nam 1. vel sensus est, substantiam Humanitatis Christi verè, formaliter, realitérque esse Vbique, attamen creatâ Omnipræsentiâ, quam tamen non habeat ex se, & suâ naturâ fluentem, sed ab vnita sibi persona diuina productam. At hoc nihil impedit, quò minùs etiam actu, formaliter & subiectiuè omnipræsens dici possit: quandoquidem etiam aqua calida, est in se actu verè, realiter, & formaliter in suâ entitate calida, tametsi calorem non habeat ex se, siue ex sua natura, sed ab extrinseco igne vel sole.

2. Si Humanitas Christi per Omnipræsentiam creatam, quam in se habeat, formaliter & subiectiuè est Omnipræsens; tunc etiam per creatam Omnipotentiam erit Omnipotens; cùm dicant Vbiquistæ, eam non minùs esse Omnipotentem, quàm Omnipræsentem. Sed consequens est euidenter falsum, quia Omnipotentia non potest creari, per quam omnia debent creari, quæ creantur; sicuti nec alia attributa diuina; alioquin & Deus posset creari, quod est absurdũ, & manifestè falsum.

3. Non possunt consequenter dicere, Humanitatem Christi esse per creatam Omnipræsentiam Vbique, cùm sæpius id negent, ac



expreſsè dicant, hæc dona, quæ Humanitati Chriſti ſunt cõmunicata, (vt eſt Omnipræſentia, Omnipotentia, Omniſcientia, virtus viuificatrix, poteſtas iudicandi & remittendi peccata, &c.) *eſſe verè immenſa, & infinita, non finita; diuina, non creata.* Ita Conradus Dieterich Vbiquiſta, ex communi ſuorum conſenſu, in Quæſtionibus Catecheticis, de perſona Chriſti, fol. 392. 393. Nam *gloria & maieſtas,* inquit, *ipſi Deo tribuitur, ex qua Deitas ipſius ſolidè demonſtratur. Atqui talis eſt gloria Chriſto per & propter vnionem perſonalem communicata. Ergo Chriſto dona verè diuina & infinita ſunt data.* Non eſt igitur Chriſti Humanitas, ſecundùm hanc Vbiquiſtarum doctrinam, omnipræſens per *creatam*, ſed per *increatam* ac *diuinam* Omnipræſentiam: & quia Conradus Dieterich ait, per diuina attributa Deitatem ſolidè demonſtrari, quid ſequitur, niſi Humanitatem in Deitatem tranſmutari? Vel ſenſus eſt, Humanitatem Chriſti non eſſe immediatè per creatam Omnipræſentiam in ſe realiter & formaliter omnipræſentem, ſed Omnipræſentiam realiter, formaliter & intrinſecè ſolùm in diuinitate exiſtere, & quidem increatam, mediante tamen perſonâ Verbi, etiam vniri ac communicari naturæ humanæ.

At tunc ſequitur quidem, Omnipræſentiam aliquo modo attribui poſſe Humanitati

Christi, sed non nisi mediante persona diuina, adeóque tantùm materialiter, non autem formaliter: & ideo tantùm in *concreto*; sic orthodoxè dicitur, *Christus homo est omnipræsens*; non autem, *Christi Humanitas est omnipræsens*. Cùm enim *concreta*, quale est *Christus*, supponant (vt loquuntur Dialectici) in recto casu pro *supposito*, non pro naturâ; suppositum autem in subiecto dictæ Enuntiationis (*Christus homo est Vbique*) sit persona Verbi; rectè de illa affirmatur hoc prædicatum, (*est Vbique*) reuerà enim persona illa *est Vbique*; cùm sit re idem cum natura diuina, quæ est Vbique; non autem natura humana formaliter in se est Vbique; quia non habet in se formaliter & subiectiuè Omnipræsentiam diuinam. Nam *dici requirit inesse*, inquit Meisnerus Vbiquista, q. 2. Qq. *Vexatarum*; *& vera denominatio semper præsupponit ipsum rei actum, vt nihil de subiecto prædicari verè queat, nisi quod ipsi subiecto verè actúque competat*. Humanitati autem Christi Omnipræsentia increata non inest formaliter, neque illam immediatè afficit, sed solùm mediante persona Verbi, quæ assumpsit Humanitatem. Si ergo diuina natura, eiúsque attributa, (cuiusmodi est etiam Omnipræsentia) Humanitati Christi nō sint immediatè & formaliter vnita, sed solùm mediante persona diuina; non possunt de eâdem

verè, immediatè *in abstracto* affirmari, sed solùm, vt iam dixi, *in concreto.*

Talis enim est communicatio idiomatum, & prædicatio, qualis est vnio. Hæc autem non est, nisi mediata, nempe per *Verbi personam.* Aliàs pariter ob hypostaticam vnionem fas esset dicere *in abstracto,* Humanitas Christi est *incorporea*, est *increata*, est *independens*, est *æterna*, est *creatrix*, &c. cùm hæc omnia sint non minùs attributa diuina; & æquè communicata in eodem puncto conceptionis Humanitati Christi, atque Omnipræsentia, cum qua sunt etiam identificata; & tamen nemo hæc non dicat esse falsissima, & absurdissima: ergo & illud de Omnipræsentia est falsissimum, &c.

Et hic est cardo rei, vt declarent se Wirtenbergici huius distinctionis Authores, vtrùm Humanitas Christi sit formaliter omnipræsens per eandem numero increatam, diuinam Omnipræsentiam, per quam omnipræsens est diuinitas; an verò per aliam numero creatam Omnipræsentiam.

Si posterius dicant, in nihilum abit illa diuina Maiestas, & æqualitas Humanitatis Christi cum Diuinitate, quam iactant: quia nulla creatura potest eò vsque eleuare Humanitatem Christi, vt ipsa in se verè denominetur diuina Maiestate prædita, & æqualis increa-

creatæ naturæ: sed solùm vt Christus sit talis; nempe ratione diuinæ personæ, in qua subsistit Humanitas.

Si verò prius dicant; vel afficitur Humanitas immediatè ab illa Omnipræsentia increata per modum formæ intrinsecè, vel non afficitur: si non afficitur; non potest Humanitatem increata Omnipræsentia denominare *formaliter* omnipræsentem, sed, vt dixi, tantùm personaliter, & in concreto, vt dicatur, *Christus homo est Omnipræsens*, non autem in abstracto, *Humanitas Christi est Omnipræsens*. Si verò Humanitas *intrinsecè* afficitur, & *immediatè* ac *formaliter* per istam increatam Omnipræsentiam, tunc inducitur reuerà confusio proprietatum diuinæ ac humanæ naturæ in Christo, contra Concilia Generalia & Patres, ita vt Humanitas in se intrinsecè ac immediatè & formaliter habeat easdem proprietates, quas habet diuinitas; & consequenter eandem naturam; vti semper contra hæreses argumentati sunt SS. Patres & Concilia: ob quam causam ab iisdem ex identitate proprietatum diuinarum quoque identitas naturæ contra Arium, Eutychen, & alios tradita, & per consequentiam est deducta. Cùm ergo Patres omnes dicant, in Christo duas esse naturas perfectas, inconfusas, essentiâ, & proprietatibus distinctas, & saluas, ac

integras; quandoquidem non naturæ per se inuicem copulantur, sed tantùm in vna persona conueniunt; sequitur, esse mutuam cômunicationem idiomatum *in concreto*, non in abstracto. Sic in 4. Synodo Chalcedonensi statutum est, in Christo duas esse naturas distinctas sine vlla confusione: secundùm humanam per omnia similem, & consubstantialem nobis, excepto peccato; secundùm diuinam consubstantialem Patri. Et ideo hæc est doctrina orthodoxa & Catholica. Nec euadent, si dicant, istam increatam Omnipræsentiam esse quidem communicatam intrinsecè, & immediatè Humanitati, sed hanc illam non habere ex se essentialiter, sed à Deo: quia hoc non obstat, quin Humanitas fiat Deus, cùm & Filius à Patre habeat Diuinitatem, non autem essentialiter à seipso, & tamen verè sit Deus; sicut & Spiritus S. à Patre Filióque. Si ergo Humanitas Christi reuerà in se formaliter, & intrinsecè habet proprietates diuinas & increatas, eásque propter vnionem hypostaticam illi debitas, vt Vbiquistæ dicunt, reuerà & ipsa mutata est in Diuinitatem, ex mente SS. Patrum, qui ex proprietatibus de ipsa natura semper iudicarunt, vt videre est apud Dionysium Petauium de Deo, de SS. Trinitate, de S. Spiritu, de Christo in omnibus Tomis Theologicorum Dogmatum, præsertim

tim Tomo 3. de Angelis, lib. 1. cap. 7. vbi probant, & Filium, & Spiritum S. Deum eſſe, quòd ſint ſcrutatores cordium, & nouerint omnia ſecreta animi recondita, &c.

Quamuis iidem Vbiquiſtæ alibi quoque negent, Humanitatem Chriſti formaliter & ſubiectiuè eſſe omnipotentem & omnipræſentem. Ita Præfatio Libri Concordiæ, cuius verba hæc ſunt: *Declarant ſe noſtri Theologi clariſſimis verbis, quòd memorata Diuina maieſtas, Humanitati Chriſti non extra perſonalem vnionem adſcribatur, aut quòd illam in ſe & per ſe, etiam in perſonali Vnione, eſſentialiter, formaliter, habitualiter, ſubiectiuè, vt loquuntur Scholaſtici, habeat; qua ratione ſi ita doceretur, diuina & humana natura cum ſuis proprietatibus inter ſe commiſcerentur, & humana natura diuinæ naturæ ſecundùm ſuam naturam & proprietates exæquationi daretur, & ſic negaretur, &c.* Ita Concordia German. loco cit. Ex quo manifeſtè apparet vertiginis Vbiquiſtarum ſpiritus, qui in ſua ſententia nunquam ſunt ſtabiles & firmi. Ex Germanico Dreſdenſi Exemplari.

❧(o)❧

§. II.

§. II.

Sophismata, quibus eluctari conantur Vbiquistæ.

PRIMVM. Quando duo inter se sunt inseparabiliter ac indistanter vnita & coniuncta, tunc aiunt, vbi vnum illorum est, ibi est & alterum. Sed diuinitas & humanitas Christi inter se sunt inseparabiliter & indistanter (secundùm Damascenum) iunctæ, & vnitæ per vnionem hypostaticam, & quidem in puncto primo Conceptionis. Ergo vbi est Diuinitas, ibi etiam est Humanitas. Sed Diuinitas est Vbique, & Omnipræsens; Ergo & Humanitas est Vbique, & Omnipræsens.

Respondeo. Grauissimè hallucinantur Vbiquistæ. Nam Maior distinguitur. Quando duo inter se inseparabiliter & indistanter sunt coniuncta coniunctione adæquata, & totali, ita vt vnum vnibile, alterum non excedat, concedo Maiorem. Si verò vnum excedat alterum, & illi sit inadæquatum (vt fit in hoc casu, vbi Verbum Diuinum est ex sua natura immensum & infinitum: Humanitas verò Christi ex suâ naturâ terminata ac finita) negatur Maior, & consequentia in dicto sensu, corruitque totum argumentum.

Eandem

Eandem diſtinctionem vſurpat Andreas Keſlerus Vbiquiſta, lib. 2. contra bellum Vbiquiſticum Foreri, ſect. 2. fol. 648. his verbis: *Diſtinguendum inter præſentiam adæquatam, & inadæquatam. Quidquid adæquatè præſens eſt alteri, & ſic intimè, indiſtanter, ac inſeparabiliter ipſi eſt coniunctum, illud ſi eſt capax motionis localis, illo localiter moto, & ipſum mouetur, &c. Verùm quando corpus corpori eſt præſens inadæquatè, non neceſſe eſt, vt vno moto localiter, alterum etiam moueatur.* Quo reſponſo Keſlerus implicitè probat Catholicorum ſententiam. Quæ enim ille de motu locali dici, etiam de exiſtentia in loco, modo ſuo dici poſſunt; cùm motus localis exiſtentiam hanc localem præſupponat, aut includat, ac pro termino habeat.

SECVNDVM. Deus eſt Omnipotens, & Omnipræſens. Homo in Chriſto factus eſt Deus, Ergo homo in Chriſto factus eſt Omnipotens, & Omnipræſens.

Reſpondeo. Si in Minore homo ſumitur pro perſona, falſa eſt minor: quia perſona in Chriſto eſt diuina. At hæc non eſt facta Deus per Incarnationem, ſed iam antea ab æterno erat Deus. Si verò ſumitur pro humana natura, vera eſt propoſitio in hoc ſenſu, Humana natura aſſumpta eſt à Verbo, & illi perſonaliter vnita, qua ratione verè factum eſt, vt Homo eſſet & Deus; quia perſona illa eſt

Deus,

Deus, in qua humana natura subsistit. Sed inde nihil habent emolumenti Vbiquistæ. Si omittas illud (*factus*) & dicas, Deus est Omnipotens, & Omnipræsens. Homo in Christo est Deus, Ergo homo in Christo est Omnipotens, & Omnipræsens. Concessa Maiore, distinguitur minor. Homo in Christo est Deus, ratione suæ naturæ diuinæ, concedo; ratione humanæ, nego.

TERTIVM. Christo per vnionem hypostaticam in Incarnatione omnia attributa diuina data sunt, quæ sunt in Verbo, Teste Apostolo ad Coloss. 2. v. 3. *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, & v. 9. *in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Ergo etiam Omnipræsentia & Omnipotentia illi data est, neque quidquam est illi negatum.

Respondeo. Concedo, illi omnia data esse attributa diuina cum natura diuina, sed non eo modo, quo sunt propria diuinitatis, hoc est, vt formaliter insint humanitati, ac intrinsecè formaliter eam afficiant, sed vt personaliter, siue ratione personæ diuinæ illam sustentantis, ei tantùm conueniant: adeóque, vt materialiter illi tantùm insint, & non tribuant effectum formalem: Sic æternitas Dei etiam realiter est in corpore Christi, & tamen Corpus Christi non fecit æternum, cùm in cer-

certo tempore primùm cœperit; ſicut anima ſpiritualis habitat in corpore, & tamen non facit corpus ſpirituale. Similiter Deus habitat in hominibus ſanctis, ad Rom. 8. v. 9 non ideo homines ſancti, ſunt Dij. Ex hoc autem perſonalis communicationis modo, non efficitur recta & formalis affirmatio vnius de altero in abſtracto, ſed tantùm in concreto. Ideo homo Chriſtus quidem dicitur Omnipræſens, Omnipotens & Omniſcius, non autem Humanitas.

In Chriſto porrò ſunt *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, &, *in ipſo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis*, ſecundùm diuinam naturam, & hypoſtaſin, non autem ſecundùm naturam humanam.

Dices. Chriſtus Matthæi 9. v 4. Phariſæorum *intima cogitata* perſpexit. Et Ioan. 6. v. 21 nouit, *qui eſſent non credentes*; quis eſſet *illum proditurus*; *nouit oues ſuas*, Ioan. 10. Ergo humanæ naturæ Chriſti verè Omniſcientia communicata eſt, quia hæc ſcire proprium eſt naturæ diuinæ. Ergo & Omnipræſentia.

Reſpondeo. Hæc ſcire per ſe, & per increatam ac infinitam ſcientiam, eſt proprium diuinæ naturæ; at negamus humanam Chriſti naturam ſciuiſſe hæc ex ſe, & per increatam ſcientiam, ſed ex dono Dei creato & finito; ſicuti etiam Prophetæ futura, abſentia,

&

& occulta sciuerunt, & præuiderunt, etiam quæ latebant abstrusa in pectore aliorũ. Quin Christus, quà Deus, omnia sciuerit, nullum potest esse dubium, sed per scientiam increatam.

Et hoc in aliis Dei proprietatibus perspicuè cernitur: Nam Æternitas, & initio carens perpetuitas, non minùs est coniuncta diuinitati, quàm immensitas, Omnipræsentia, aliæque proprietates diuinæ, quæ separari à natura diuina, aut sine illa communicari humanæ naturæ nullo modo possunt. Quis autem dicat, humanam naturam per vnionem hypostaticam factam esse æternam? initij expertem, aut *ininitiabilem?* aut independentem?

Talis nimirum est hæc communicatio diuinæ naturæ, & omnium proprietatum diuinarum cum natura humana, vt vtrinque prædicari possit. Quâ enim ratione Diuinitas Humanitati, & Humanitas Diuinitati communicatur, eâdem & proprietates ambarum naturarum ipsis vtrinque attribuuntur, sed tantùm in concreto: cùm vna eadémque persona habeat vtramque naturam; & hæc prædicatio est personalis, seu substantialis, non essentialis, nec accidentalis; quia coniunctio est personalis. Sicut enim homo est Deus, quoad prædicationem, ita Deus est homo: ideo

ideo etiam dici potest in concreto, *Deus est mortuus, est passus, est crucifixus*, non autem Deitas est mortua, passa, crucifixa; quod tamen Lutherus non est veritus affirmare.

QVARTVM. Si Humanitas Christi non est Vbique, tunc nec Christus est Vbique: Atqui falsum est, Christum non esse Vbique, vt vel hoc Syllogismo probatur; Deus est Vbique: Christus est Deus, Ergo Christus est Vbique. Ergo falsum quoque est, Humanitatem Christi non esse Vbique; sine Humanitate enim Christus non est Christus.

Respondeo. Negando sequelam maioris. Quia Christus nō tantùm significat naturam humanam, sed & personam diuinam cum diuinitate; Satis est autem, vt dicatur Vbique, si quoad personam & diuinitatem sit Vbique, nec est necessarium, vt quoad omnia, hoc est, etiam quoad Humanitatem sit Vbique. Nónne Christus est Deus, & tamen secundùm humanam naturam non est Deus. Ita Christus est Vbique, licèt secundùm humanam naturam non sit Vbique. Quando SS. Patres subinde Christi *carnem* vocant Deum, *impropriè* loquuntur, accipientes carnem pro homine.

QVINTVM. Si Christus, quà homo, seu secundùm Humanitatem, non est Omnipræsens & Vbique, sequitur, illum non habere

omnia, quæ ad officium summi Sacerdotis, Regis, Iudicis, & capitis Ecclesiæ, tam militantis, quàm triumphantis, requiruntur. Omnis enim potestas, quam Christus sibi, quà homini, datam esse in cælo & in terra, dixit, est illi ad hoc officium necessaria. Ergo etiam Omnipræsentia, quâ possit omnibus rebus adesse, & illas dirigere, disponere, & gubernare, est illi necessaria.

Respondeo. Nimis abiectè sentiunt Vbiquistæ de Humanitate Christi, dum eum, quà homo est, & secundùm Humanitatem Ecclesiam regere posse negant, sine monstroso hoc figmento Vbiquitatis? Quasi verò nil sciat Christus, nisi quæ corpore præsens videt, audit, manibus contrectat? Quasi verò Iudex, Rex, Sacerdos summus esse non queat, nisi per increatam Dei iudiciariam potestatem? nullúsque viuificandi & saluandi virtute pollere possit, nisi per infinitam illam vim, quam Deus ad viuificandum & saluandum habet? Christus intelligentiâ suâ creatâ, spiritu, & cogitationibus adesse potest in toto mundo omnibus rebus, quas gubernat, regit, & iudicat ex Dei dono, & creato lumine, sicut olim cor Elisæi, 4. Reg. 5. v. 26. præsens erat, quando reuersus est Naaman de curru suo in occursum Giezi, & quando idem Elisæus, quamuis absens, vidit Giezi accipientem vestes & argen-

argentum, & quidem etiam, quo consilio hoc fecerit: nempe, *vt emeret oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas.* Et 4. Reg. 6. v. 9. quando detexit occulta consilia, & positas insidias Regis Syriæ; & S. Petrus Actor. 5. quando nouit occultas fraudes & fallacias Ananiæ & Saphiræ: Ergóne ideo etiam Prophetis & Apostolis ista Vbiquistica omnipræsentia fuit necessaria? Quid de S. Paulo dicemus, qui 1. Corinth. 5. v. 3. & 4. etiam *absens corpore, præsens autem spiritu* iudicauit Corinthium.

Sextvm. Humana Christi natura adoratur: Ergo participat attributa diuina in se: & sic etiam Omnipræsentiam; quia adoratio est propriissimum idioma Dei.

Respondeo. Humana Christi natura adoratur non per se, sed ratione adiunctæ hypostaseos, in qua subsistit; non propter se, sed propter aliud, nempe propter suppositum diuinum: adoratur etiam non absolutè & simpliciter, sed analogicè, & cum habitudine ad personam diuinam, per quam terminatur; quamuis aliqui etiam aliter respondeant.

Septimvm. Si Christi Humanitas nunc non est Vbique, sed in determinato aliquo cæli loco existat, tunc homines in terra sæpissimè errabunt, quando ipsius opem protensis sursum manibus implorant: in Europa enim

manus ad partem cæli nobis aſpectabilem eleuant; & tamen fieri poteſt, vt Chriſtus nō ſit in ea parte, ſed potiùs in parte ad Antipodas ſpectante. Hoc autem eſt abſurdiſſimum, neſcire nos, vbi Chriſtus ſit, quando ab eo auxilium flagitamus. Neceſſe igitur eſt, vt ſit Vbique in cælo.

Reſpondeo. Quando Chriſtum oramus, dirigimus ad illum, vt Deum, preces, vel ſaltem ad Humanitatem vt coniunctam Diuinitati, à quâ Humanitas habet ſuam dignitatem, & conſequenter ſatis eſt, ſi Diuinitas, quæ eſt Chriſti dignitas, ſit Vbique: & ſic nullum committitur abſurdum, nec error. Per Diuinitatem enim ipſi intimè coniunctam cognoſcit etiam Humanitas, quis eius opem imploret?

Deinde etiamſi dirigerentur preces ad Humanitatem præcisè, adhuc ipſa interna mentis directio (in qua conſiſtit vis orationis) nō eſt ad hunc potiùs locum, quàm ad alium, ſed ad eum, in quo exiſtit reipſa in cælo Chriſti Humanitas, vbicunque exiſtat; & ſic ſemper Chriſtus etiam ſecundùm humanitatem, licèt apud Antipodas, cognoſcit hanc interiorem orantis directionem. Quare cùm neſciamus, in qua parte cæli nunc reſideat, ſine abſurdo poſſumus in quamcunque partem cæli extendere manus noſtras inter orandum.

Et

Etidem dici potest de B. Virgine, & aliis Sanctis, quando illorum intercessiones postulamus.

Denique retorquetur argumentum in Vbiquistas. Si enim Humanitas Christi est Vbique, adeóque etiam in terra, cur ipsi oculos potiùs eleuant in cælum, quando orant, ad eius opem implorandam? Omnes ergo debemus respondere, eleuare nos oculos in cælum; quia scimus Christum esse in cælo, quamuis nesciamus, qua parte cæli sit; eleuamus autem in cælum ea parte, qua nobis ad visum patet cælum, quia sic complectimur cælum totum eo modo, quo possumus, videndo hanc partem nobis peruiam & conspicuam, quæ continua est cum toto reliquo cælo.

Octavvm. Si Christus secundùm Humanam naturam non est, Vbicunque est eius Diuinitas, sequitur Christum non esse Vbique Christum, hoc est, Deum & hominem. Atqui est absurdum, Christum nõ esse Vbique Christum, vel Deum & hominem. Ergo absurdum est & id, ex quo sequitur.

Respondeo. Maior propositio: *Christus est Vbique Christus*, licèt primo aspectu videatur verissima & identica, tamen cùm vox (*Christus*) possit accipi variè, distinguenda est. Nam aliquando accipitur pro solo supposito, seu persona diuina, vt in epist. ad Hebræos c. 13.

v.8. *Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſecula.* & Ioan. 8. v. 58. dicit Chriſtus de ſeipſo: *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* Certum eſt autem, humanam naturam Chriſti non fuiſſe ante Abraham, & ab æterno, ſed ſolam perſonam Chriſti cum Diuinitate. Aliquando verò accipitur Chriſtus pro toto compoſito, ſeu conflato ex perſona Diuina & Humana natura, vt in Symbolo Athanaſij, *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo; ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* Cùm ergo in dictæ propoſitionis prædicato accipiatur *Chriſtus* indubiè pro toto compoſito, vt declarant illa verba addita, *Hoc eſt, Deus & Homo*, videndum eſt, quomodo in ſubiecto accipiatur.

Dico igitur I. Si Chriſtus in ſubiecto accipiatur pro ſola perſona diuina, ita vt ſenſus ſit, *Verbum diuinum eſt Vbique Deus & homo*, tunc non ſolùm non eſſe identicam, ſed etiam falſam; ſicuti falſa etiam illa eſt, *Chriſtus ſemper fuit Chriſtus*, hoc eſt, *Verbum fuit ſemper Deus & Homo.* Nam licèt nunc Verbum ſit vnitum humanitati, tamen ſicut non ſemper fuit illi vnitũ, ita neq; Vbique eſt illi vnitum.

Nec refert, Verbum, quòd nunc eſt Humanitati vnitum, nunc eſſe Vbique: Nam etiam anima rationalis, quæ nunc eſt vnita capiti, nunc eſt in ſpatio; v.g. ſex aut ſeptem palmarum, hoc eſt, in toto corpore, & tamen caput

put non eſt in toto corpore, in quo eſt vnita anima corpori; quia caput non eſt in pede.

Quæ inſtantia apertè oſtendit, non eſſe de eſſentia vnionis, vt vbi exiſtit vnum extremum, ibi exiſtat & alterum. Et ſanè cùm optimè poſſit explicari eſſentia vnionis per hoc, quòd in aliqua parte ſpatij, in quo exiſtit vnum extremum, faciat exiſtere aliud, (ſic enim ſufficienter vnio diſtinguitur ab omni alio genere entis) pertinet ad ipſos Vbiquiſtas poſitiuè oſtendere, eſſentiam vnionis requirere, vt vbicunque exiſtit vnum extremum, ibi exiſtere & alterum. Quod hactenus non fecerunt. Interea authoritas Scripturæ, quæ clarè dicit, Chriſtum de loco vno fuiſſe verè motum ad alium; & exemplum de anima rationali ſtat pro nobis, & oſtendit Humanitatem Chriſti non eſſe Vbique.

Dico II. Ponamus ſubiectum huius propoſitionis: *Chriſtus eſt Vbique Chriſtus*, eodem modo ſumi, quo in prædicato, pro toto compoſito, vt ſenſus ſit, *Chriſtus Deus & Homo, eſt Vbique Deus & Homo*; adhuc eſt propoſitio falſa, ſicut eſt & iſta falſa, *Chriſtus fuit ſemper Chriſtus.* Quia ad hoc, vt propoſitio affirmatiua ſit vera, non ſolùm prædicatum debet eſſe idem cum ſubiecto, ſed etiam ſubiectum debet exiſtere pro ea circumſtantia loci, & temporis, &c. pro qua tribuitur præ-

dicatum. Ad hoc autem, vt affirmatiua sit falsa, & negatiua sit vera, satis est, vt vel prædicatum sit diuersum, & non conueniens subiecto, vel vt subiectum non existat pro eo tempore, &c. pro quo tribuitur illi prædicatum. Quare hæ affirmatiuæ ambæ sunt falsæ, *Antichristus erit bonus*, & *Antichristus est nunc improbus*. Prima quidem est falsa, quia prædicatum non conuenit subiecto. Secunda verò est etiam falsa, quia licèt prædicatum conueniat subiecto, tamen subiectum non existit pro hac temporis differentia, pro qua tribuitur illi improbitas, vt supponitur ex Catholicorum sententia, quæ docet Antichristum nondum existere. E contrario istæ propositiones negatiuæ sunt ambæ veræ. *Magnus Turca non est Romæ Mahometanus*; & *Magnus Turca non est Christianus*. Prior est vera: quia licèt prædicatum conueniat subiecto, subiectum tamen non existit pro eo loco, id est, Romæ, pro quo tribuitur illi prædicatum: Posterior est vera, quia prædicatum non conuenit subiecto.

Quamuis ergo, quando dicitur: *Christus est Vbique Christus*; siue, *Deus & Homo est Vbique Deus & Homo*, prædicatum & subiectum est idem, tamen propositio est falsa; quia prædicatum tribuitur subiecto pro *Vbique*, seu *omni loco*; subiectum autem, hoc est, *Deus & Homo*, seu, *Deus cum humana natura*, non est

Vbi-

Vbique: sicut neque semper fuit Deus cum humana natura, ideo & hæc est falsa, Deus fuit semper cum humana natura.

In forma ergo ad argumentum. Si Christus secundùm humanam naturam non est, vbicunque est eius diuinitas, sequitur, Christum non esse Vbique Christum, hoc est, Deum & hominem: concedo Maiorem.

Atqui est absurdum Christum non esse Vbique Deum & hominem: nego minorem. Nam neque Verbum, seu Dei Filius est Vbique Deus & homo: sicut non fuit semper Deus & homo: neque Deus & homo, siue Deus cum humana natura, est Vbique Deus & homo, quia non existit Vbique Deus cum humana natura. Vide S. Thom. in 3. dist. 22. art. 2.

Potest etiam ad hanc quæstionem breuissimè responderi per distinctionem vocabuli *Vbique*, in hac propositione: Filius Dei, seu Christus Vbique est homo. Distinguo: si *Vbique* sit pars subiecti hoc sensu, Filius Dei, seu Christus, quà Deus Vbique existens, est homo; propositio est vera: si autem sit pars prædicati, vt sensus sit, Filius Dei, seu Christus est, id est, existit Vbique homo, sic est falsa.

Nonvm. Vbicunque est dextera Patris, ibi est Humanitas Christi, quia sedet ad dexteram Patris; Sed dextera Patris est Vbique. Ergo etiam Humanitas Christi,

Respondeo. 1. Negando Maiorem: Ad probationem dico, vt quis sedeat ad dexteram alterius, satis esse, si alicubi assideat dexteræ. Quamuis sedere ad dexteram Patris, hîc non significet situm localem, quem Pater non habet; sed æqualitatem honoris collatam Christo homini, non ratione Humanitatis, quæ Patre minor est, vt habet Symbolum Athanasij; sed ratione Diuinitatis. Vnde toti supposito attribuitur per communicationem idiomatum. Sicut si monetæ argenteæ adiungas tantum auri, vt æquiualeat alteri auro, non ob argentum, sed ob aurum additum. Sic cùm creata Humanitas Christi per se infinities sit inferior Patre, adiunctâ hypostasi diuinâ, fit Patri æqualis; licèt ipsa humana natura in se non sit mutata. Et quamuis Christus ab ipso momento conceptionis iam sederit ad dexteram Patris; dicitur tamen post Ascensionem primùm sedisse, quia coram Angelis in cælo suam æqualitatem tum maximè manifestauit. Et hæc est communis explicatio Catholicorum de sessione ad dexteram Patris.

Resp. 2. Hunc locum Apostoli esse contra Aduersarios. Si enim Christus sedet ad dexteram Patris; ergo non ad sinistram; ergo non est Vbique. Sessio ad dexteram est moralis metaphora ab hominibus mutuata: nam qui

aliquem honorare volunt in mensa, dexterum locum illi assignant: Ita Deus Pater Filium suum in cælos euectum ad dexteram suã locauit: hoc est, pari secum honore & maiestate frui voluit, sibíque adæquauit, si de Diuinitate Christi loquamur: At si de eius Humanitate intelligamus, vt nonnulli volunt, tunc non significat sessio illa æqualem dignitatem, sed proximam post Deum.

Decimvm. Hypostasis & attributa diuina sunt re idem: Ergo si communicata est naturæ humanæ hypostasis, tunc etiam communicata sunt attributa diuina; Sicut ergo Natura humana potest dici subsistens, ita potest dici immensa & Omnipræsens, & Omnipotens, &c.

Respondeo. Concesso Antecedente, negatur consequentia. Nam etsi re idem sunt Hypostasis & attributa diuina, virtute tamen differunt: sicut Pater & essentia diuina sunt re idem, tamen Filius non est Pater, licèt sit essentia diuina. Ita Hypostasis, seu persona Verbi, formaliter communicatur Humanitati, non autem attributa diuina, etsi materialiter, quatenus identificantur hypostasi, seu personæ, communicentur etiam humanæ naturæ, vt in concreto de illa possint prædicari, non autem in abstracto. Etsi enim Diuinitas sit simplicissima, & ex multis partibus actu distin-

ctis

ctis composita, tamen est infinita & eminentissimæ perfectionis, quæ pluribus re distinctis entitatibus æquipollet: ideo potest vnum effectum formalem tribuere, & non alterum; vt patet ex dictis de mysterio SS. Trinitatis. Nam Pater æternus generando Filium, communicauit ei suam totam diuinitatem, à qua Paternitas realiter non differt, & tamen paternitatem formaliter illi non communicauit, sed tantùm identicè; alioqui filius esset pater; proinde in diuinis non valet illud axioma Logicorum: Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Sed Pater & Filius sunt iidem vni tertio, nempe essentiæ Diuinæ: & tamen non sunt iidem inter se, sed realiter distincti. Sic attributa Diuina ab hypostasi virtualiter distinguuntur, vt licèt Humanitati Christi formaliter sit communicata hypostasis Dei, vnde dicitur subsistens, tamen non communicata sit formaliter Vbiquitas.

§. III.

Dissensio Vbiquistarum inter sese.

R*Espondeo* 1. Non sunt in vlla tempestate tam contrarij venti, nec in maris Euri-

po tot refluæ, & inter se colluctantes vndæ, quot sunt inter Vbiquistas de *Omnipræsentia* Humanitatis Christi sententiæ, vt in duplici Bello Vbiquistico declaraui. In hoc vno conueniunt, Humanitatem Christi secundùm substantiam esse Vbique, & in omni loco præsentem: sed de modo præsentiæ nullus est finis dissensionum & rixarum. De hac ipsa tamen substantiali præsentia, generatim Bellarminus lib 3. de Incarnatione c. 1. refert, in sola Saxonia ter mutatam esse sententiam. Initio enim cum Luthero aliqui defenderunt vniuersalem Vbiquitatem, post cuius mortem cœperunt illam alij oppugnare contra Illyricum & Brencium. Melanchton enim in 3. caput epist. ad Colossenses apertè damnat hanc doctrinam generatim, & vult Christum esse in certo loco cæli quoad carnem: Vbique autem quoad diuinitatem: & in epist. ad Fridericum Comitem Palatinum anno 1559. *Alij*, inquit, *Vbiquitatem excogitarunt*: & addit: *Hæc sunt portentosa omnia, ignota erudita vetustati.* Postea anno 1571. celebrarunt Synodum Dresdensem, conuenientibus & consentientibus omnibus Superintendentibus Ducatûs Saxoniæ, nec non Doctoribus Academiarum Wittenbergæ & Lipsiæ, ibique statuerunt, *Vbiquitatem Corporis Christi esse horribilem prophanationem ferè omnium articulorum*

Symboli, & renouationem omnium hæreseon iam olim damnatarum, præsertim Marcionitarum, Valentinianorum, Manichæorum, Samosatensium, Sabellianorum, Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, & Monothelitarum.

At non fluxerunt anni decem, cùm prodiit ex eâdem Wittenberga & Lipsia, & cæteris eius regionis locis, noua Concordia, in qua tantopere damnata Vbiquitas iterum recipitur pro articulo fidei; de quo tamen libro Concordiæ fuerunt inter Concordistas ingentes adhuc rixæ, donec nouo Bello Vbiquistico initium daretur anno 1617. circiter.

Respondeo. 2. In specie autem de modo ac tempore Omnipræsentiæ, hodiéque summa adhuc est discordia & pugna nunquam terminanda. Et quidem quàm maximè nunc inter se dissident Theologi Wirtenbergenses ex vna, & Hassiaci Darmstattenses, ac Electorales Saxonici ex altera parte, cum quibus posterioribus plures Academiæ Lutheranæ consentiunt, de quo dissidio egi in Manuali Lutheranorum part, 1. c. 3. §. 8. & in Bello Vbiquistico nouo sub initium, vbi ex ipsorum libris, quàm immaniter inter se inuicem prælientur, & quantorum errorum alteri alteros insimulent, & reos faciant, demonstraui. Neque hoc infitiari potest Melchior Nicolai, qui ad maiorem partem Manualis Lutherani cō-

tra

tra ipsum scriptum nunquam respondit; neque Andreas Keslerus, qui bellum vtrumque Vbiquisticum oppugnauit; & de veteri iam responsum accepit, cuius altera pars etiam iam est scripta, at nondum typis data. Sed fateri hoc dissidium nolens volens coactus est, quomodocunque excusare conetur.

WIRTENBERGICI docent, Christum secundùm Humanitatem etiam in statu exinanitionis propter vnionem hypostaticam à puncto conceptionis, ac etiam in ipso tempore passionis & mortis omnibus rebus præsentem fuisse, omnia occultè gubernasse. Ita illis tribuunt, & multa inde absurda deducunt Saxonici, *in Necessaria, & ineuitabili Apologia contra VVirtenbergicorum Amicam admonitionem*, his verbis, fol. 809. *Eò Domini Tubingenses progressi sunt, vt carnem Christi mortuam simul & viuam fuisse, inq; sepulchro iacentem nihilominus occultè cælum & terram rexisse affirmarint, & quæ similia sunt plura.* Et in eadem Apologia, *Obstupuimus, cùm legeremus in Considerat. Theologica 4. Quæstionum pag. 172. Caro est per gratiam, quidquid verbum est per naturam, Ergo caro Christi per gratiam quoq; fiet spiritus æternus, increatus, infinitus, immensus? Talis enim Spiritus Verbum est per naturam.*

Quæ Saxonici & Hassiaci VVirtenbergicis obiiciant.

Balthasar Menzerus in *Necessaria & Iusta*

defen-

defensione, sic scribit contra Wirtenbergicos, fol. 102. *Quomodo Christus*, inquit, *mortuus simul & viuus eo tempore dici possit, Scripturis ignotum est.* Et paulò pòst: *Falsum dicit, quisquis vllo modo negat, animam Christi in morte à corpore fuisse verè separatam, vsque ad tempus resurrectionis.* Hanc autem assertionem Wirtenbergicis tribuit tota illa hypothesi 7. à fol. 94. vsque ad fol. 106.

Idem Menzerus in *fideli admonitione* de consideratione Melchioris Nicolai, thesi 101. fol. 298. ait: *Atrox contumelia*, (à Wirtenbergicis) *appellatur, quòd Marcioni dixerim, non ingratam fore doctrinam de occulta vsurpatione diuinæ Maiestatis in exinanitione sub pallio formæ seruilis, & quòd exaltatio sit tantùm declaratio & manifestatio, &c. sed non opus copioso sermone, tria verba sufficiunt veritati.*

Negare veritatem passionis & mortis Christi, Marcioniticum est.

Qui contendit, Humanitatem Christi semper, & Vbique, etiam in media morte indistanter omnibus, & singulis creaturis præsentem adfuisse, & sine interruptione omnia gubernasse in cœlo & in terra: & corpus iacens in sepulchro adfuisse animæ in paradiso, & animam in paradiso existentem adfuisse corpori in sepulchro, is negat veritatem passionis & mortis Christi.

Ergo id Marcioniticum est. Assumptio probatur.

batur. quia quæ natura gubernat omnia, ea dum gubernat omnia, non potest ab vlla re pati, multóque minus occidi, quod tam verum est, vt vosmet ipsi (Wirtenbergici) *fateamini retractionem diuinæ potentiæ in officio sacerdotali.*

Nec obstat distinctio inter vsurpationem omnipotentiæ occultam, & manifestam. Nam etiam qui occultè regnat, eo ipso dum regnat, viuit. Christus autem fuit in Cruce mortuus, sine discrimine mortis occultæ, vel manifestæ.

Idem pag. 299. Thesi 102. *Egóne credam,* inquit, *eam naturam verè proiectam in exilium, quæ eo ipso tempore dominata fuit in cælo & in terra? fame & siti afflictam, quæ vsa fuit abundantiâ omnium rerum, tametsi occultè & latenter? Vulneratam & mortuam, quæ in omnibus suis hostibus, omnipotenter imperauit, & dominata est? Vbi paupertas Christi? Vbi afflictio? Vbi passio? si vsurpauit Humanitas diuinam maiestatem vniuersaliter in gubernatione mundi?*

Et Thesi 103. *Qui statuit ipsam Humanitatem Christi in exinanitione omnia gubernasse* (vt faciunt Wirtenbergici) *non potest affirmare, ipsam verè passam & mortuam fuisse.*

Idem ibidem pag. 320. Thesi 8. pag. 155. 156. ad Melchiorem Nicolai. *Negas pugnare hæc duo, Humanitas Christi gubernat cælum & terram occultè, & Humanitas Christi est pauper, esurit, sitit, patitur, moritur; Nam imperare*

NB. Distinctionem VVirtenbergicorum.

eam dicis actu persona, pati & mori actu natura. At, inquam ego, imperare & seruire, mori & regnare, de vna eadémque natura humana Christi, simul & semel affirmari non possunt, quoscunq; afferas diuersos respectus, neque vnquam credam, naturam humanam Christi, egressâ ex corpore animâ, vixisse actu persona. Quale λύτρον, talis redemptio. Hæc Menzerus de Wirtenbergicis.

Non dissimilia habet paulò antè citatâ *Apologiâ, pro Decisione Saxonica*, sectionis, seu partis 5. capite vnico, de incommodis nouis, & ex parte erroneis phrasibus & opinionibus Wirtenbergicorum, vbi auctori Tapinosigraphiæ Thummio, fol. 471. & 472. manifestè adscribit hanc sententiam: *Localem διάστασιν, & separationem animæ & Corporis Christi illo triduo mortis, neutiquam intercessisse*, propter Omnipræsentiam Humanitatis Christi, ex vi vnionis hypostaticæ.

Quæ VVirtenbergici Hassiacis, & Saxonicis obiiciant.

E contrario scribit Melchior Nicolai Wirtenbergicus contra Saxones & Hassos in considerat. Theologica, fol. 78. & 79. *Ostenderunt nostrates Theologi solidissimis rationibus, personalem vnionem, & Humanitatis in infinita τοῦ λόγου ὑποστάσει subsistentiam, necessario inferre idiomatum diuinorum communicationem, nullo post semel factam incarnationem tempore, aut statu variabilem. Experti sunt autem, aduersarios apertè blasphemos, Caluinianos, qui negando communi-*

municationem idiomatum, consequens immediatū, etiam ad vnionem personalem, antecedens, in effectu labefactando progressi sunt, spem & fiduciam, quam in Christo Θεανθρώπῳ defixam habemus, vno quasi ictu conuulsuri, & Photinianismum, Mahometismum portis bipatentibus, (nō, quid dicant, hîc attendo, sed quid suis fundamentis conuenienter dicere debeant) recepturi. Contra istos dum aperto Marte res geritur, ecce noua dissentientium (Saxonum, & Hassiacorum) seges oritur, qui dū strenuè pro orthodoxiâ pugnauerint hactenus, nunc quasi per cuniculos noua certamina moliantur, in eandem Impietatem (nisi meliùs consulti sententiam mutent, & ex propriis fundamentis quædam sua theoremata corrigant) desitura. Nam præsupposito ipsorum Theoremate (apud Feurbornium in Kenosigraphia fol. 111. sect. 2. c. 2. n. 1.) potentialem non actualem omnipræsentiam assumpto homini in statu exinatitionis attribuendam, quid sequatur, vident omnes boni, omnes non cæci & surdi: nimirum aut in λόγῳ ipso non fuit tum actualis omnipræsentia, aut eadem cùm esset λόγῳ per naturam propria; est Humanitati per gratiam communicata.

Sic scribit Thummius pag 25. Tapinosigraphiæ: *Dissentientes* (Saxones & Hassiaci) *asserunt hominem in Deum assumptum in eodem statu non modo in iis, quæ finem Incarnationis, opus videlicet Redemptionis, quoad officium sacer-*

dotale concernebant vsum communicatæ maiestatis, vt pati & pro nobis mori posset, liberè retraxisse, sed & eundem fuisse Deum, non verè realiter & operatiuè, seu exercitio, sed δυνάμει seu potentiâ duntaxat talem. quique adeò in officio etiam regio, quoad extra; actu non tantùm naturæ, sed & personæ fuerit maximam partem (exceptis paucis nonnullis extraordinariis) inglorius, pauper, infirmus, omnipotentiæ exercitio, in regimine Vniuersi non exornatus, paucorum conscius, &c. & quod maximum est, & Horrendum, *longissimo, & infinito interuallo à suis creaturis, quoad propinquitatem etiam substantialem absens.*

Annon Optime Lector, quaso te, per Christi tui gloriam, hoc est, ex homine in Deum assumpto, Deo vero, magno, reali, actuali seu operatiuo, vt ita loquar, efficere Deum aliquem, (ignosce, ô Christe) angularem, Deum aliquem potentialem, Deum scilicet non Deum &c. Deum absque Deo?

Et pag. 21. ac 22. *En! cumulum horribilium absurditatum, En! ruinam, eneruationem, quinimò euersionem omnium fermè orthodoxorum principiorum, &c. En! πανολεθρίαν totius fermè religionis sinceræ & Lutheranæ.* Hæc Thummius de Saxonibus & Hassis.

Ex quibus clarissimè liquet, quomodo Vbiquistæ seipsos censuris confodiant, & suam Vbiquitatem ludibrio exponant: cùm enim illis sit impossibile, respondere ad argumen-

mentum, quod de motu locali in Chriſto, & de deſcenſu animæ Chriſti ad inferos (de quo plura in Annotationibus ad Teſtimonia Patrum) obiicitur, ad talia abſurda & portentoſa figmenta delabuntur, & dicunt ſinguli, quidquid ipſis ſpiritus vertiginis ſuggerit: adeò vt certent inter ſe, quis poſſit aliquid abſurdius in medium afferre.

Wirtenbergici dicunt, ſecundùm relationem Saxonicorum & Haſſorum, Humanitatem Chriſti ab ipſo puncto conceptionis, & deinceps ſemper in vtroque ſtatu fuiſſe actu omnipræſentem, adeò vt & in ipſo mortis triduo, anima nunquam ſit egreſſa de corpore, & Chriſtum quoque, dum moreretur in cruce, ac iaceret in ſepulchro, ſecundùm humanam naturam, occultè totum vniuerſum gubernaſſe, vnde concludunt Haſſi, Chriſtum nunquam mortuum eſſe. Quid autem eſt articulos Symboli ludibrio habere, & Scripturas euertere, ſi hoc non eſt?

Saxones verò & Haſſi dicunt, in conceptione quidem per vnionem hypoſtaticam Omnipræſentiam fuiſſe Humanitati communicatam, Chriſtum verò iſtam Omnipræſentiam in ſtatu humiliationis, maximè in officio regio, non vſurpaſſe, (vt pati, & pro nobis mori poſſet,) neque ſibi in conceptione traditâ maieſtate, *actu ſecundo*, vſum eſſe; ſed ſe

ab illa liberè in multis euacuasse: & propterea localiter per mundum ambulasse, crucifixum & sepultum esse; & hoc illum fecisse naturali modo, cùm per vnionem personalem non amiserit naturam & proprietates humanas. In quo etiam insigniter desipiunt, & se in talem labyrinthum includunt, vt pateant illis vestigia nulla retrorsum.

Hîc velut in speculo spectent Respublicæ & Principes Confessioni Augustanæ, & Libro Concordiæ addicti, quàm sit illorum Ecclesia fœdè ac hostiliter discissa, cuius Doctores tam diuersimodè & contrariè summos fidei articulos, quos Vbiquitas complectitur, docent & tradunt, & vtrique pro se S. Scripturam, Librúmque Concordiæ adducunt, ac se inuicem reos turpissimorum errorum, ac horribilium hæresum faciunt. A quâ parte nunc stant isti Principes? à quâ populus Lutheranus? Si cum Saxonicis & Hassiacis se sentire dicant, à Wirtenbergicis Nestorianismi & Photinianismi accusabuntur: Si cum Wirtenbergicis, Marcionismum illis impingent Hassi & Saxonici. Prô! quàm fuerunt olim in Ecclesia orthodoxa abominandi isti hæretici! Ergóne tales sunt isti puri, vt se vocant, Euangelici? Licèt autem hæc lis ante triginta annos sit gesta & agitata, intereà tamen nunquam est composita, & vtraque pars adhuc

adhuc perseuerat in sua sententia. Quid hodie fieret, si Principes examinarent suos Prædicantes, quam nunc defendant sententiam? Nouam discordiam experirentur. Neque enim idem omnes defenderent, quod antehac tanta virium contentione contra se inuicem propugnarunt; præsertim postquam plurimi eorum, vt fertur, in Indifferentismum iam sunt delapsi. Deus bone! quàm diuersa responsa obtinerent! Aliqui Vbiquitatem omninò exsecrarentur; aliqui Wirtenbergicam, alij Saxonicam cum Hassiaca tuerentur, alij nouam proferrent. Interim Controuersia illa mandatis Principum est suppressa, ne in publicum erumpat, non tamen est abolita, nec cõmuni consensu definita, sed sub cineribus gliscit, aliquando iterum in flammam exitura. Liber Concordiæ non potest iuuare; quia de ipsius sensu digladiantur. Interim durat lis de maximo fidei articulo, de quo aut in Marcionismum, aut in Nestorianismum ac Photinianismum declinandum est illi, qui alterutram partem vult amplecti. Dicere, nullius momenti esse quæstionem, & ad salutem nil referre, hoc, an aliud credas, est vtramque partem condemnare; Nam Thummius ait, Saxonicorum & Hassiacorum doctrinam esse cumulum horribilum absurditatum, ruinam eneruationem, & euersionem omnium ferè

Orthodoxorũ principiorum; esse *πανολεθρίαν* totius fermè religionis sinceræ & Lutheranæ: Ex Christo fieri Deum angularem, Deum potentialem, Deum non Deum. E contrario Saxonici & Hassi ad Marcionismum, Saxonica placita deriuant. Hæc considerent Principes & Respublicæ Lutheranæ, & videant, quomodo à suis Ministris in causa religionis per abominanda præcipitia circumducantur, & ludibrio exponantur. Et si hoc in ista grauissima materia, quomodo se esse securos in aliis ad salutem pertinentibus sibi persuaserint? Vide Manuale Lutheranorum, parte 2. cap. 3. §. 8.

§. IV.

Sententia Electoralium Saxonicorum, in Defensione Pupillæ Saxonicæ contra Forerum.

Saxonici Electorales Pupillæ Defensores, quid sentiant?

AVdiamus & Saxonicos Electorales, *Defensores Pupillæ oculi* (die Verthädinger deß Augapffels) contra Collyrium Forerianum, cap. 45. Lipsiensis edit. in 4. *Si defenderemus* (inquiunt) 1. *vi vnionis personalis Dominum post assumptam humanitatem Vbique*

corpo-

corporaliter & visibiliter fuisse, tunc obiectio illa (quòd per Vbiquitatem destruantur articuli fidei de Natiuitate, Passione, Morte, Resurrectione, & Ascensione Domini) *possent habere aliquam speciem. At hoc non docemus, sed dicimus* (2.) *eandem Humanitatem Christi, quæ visibiliter, & sua natura conuenienter iam hoc, iam alio loco fuit, alio multò altiore, supernaturali, inuisibili, cælesti, & diuino modo, propter personalem vnionem, etiam tunc fuisse in Dei Filij persona, & quidem multò, multò profundiùs, propiùs, & præsentiùs, quàm fuerit in exteriore expanso loco :* (3.) *vi enim personalis vnionis certissimum est, Filium Dei à sua assumpta natura humana nusquam separatum, nusquam solutum, nusquam absentem fuisse, cum quâ ipse personaliter & indistanter, sicut Damascenus loquitur, hoc est, non solùm præsenter, sed Omnipræsenter est vnitus, ita vt Filius Dei à sua in vnionem sua persona semel assumpta natura humana in nullo loco, neq; in cælo, neq; in terra separatus fuerit, aut esse potuerit.*

Discat ergo Forerus Corpus Christi dupliciter considerare, primo, vt est corpus humanum naturale: & sic habet suas naturales proprietates, & secundùm has in vno loco, non sæpius, quàm semel quantitatiuè & visibiliter præsens se exhibuit in Natiuitate, Passione, Morte, Sepultura, Resurrectione, Ascensione, &c. Deinde, vt est super-

naturaliter humana natura in diuinam personam Filij Dei eleuata & assumpta. Hinc (4.) irrefragabiliter sequitur, quòd vi huius personalis existentiæ Corpus Domini, præterquàm quòd in vtero Virginis Mariæ conclusum fuit, habuerit suam inhabitantem permanentiam, & habeat per omnem æternitatem in persona Filij Dei, cum quâ Corpus & Humanitas per vnionem facta est vna persona. Et propter hanc omnium supremam vnionem (5.) potuit solus iste homo, & nullus alius dicere, quando in terra cum Nicodemo stabat, quòd Filius hominis in cælo existat. (6.) Siquidem æternum Verbum seu Dei Filius, suam humanam naturam, ob quam vocatur, & est hominis Filius, in loco, vbi quantitatiuè apud Nicodemum stabat, non propiùs apud se habuit, quàm in supremo cælo, vt qui illam (7.) non secundùm hunc aut illum locum, vbi humanitas naturaliter & visibiliter existit, secum vniuit; sed sine consideratione expansi & circumscripti loci, intra suam personam diuinam (apud quam nec spatium, nec locus expansus excogitari debet) intimè & verissimè habet præsentem, & præsentissimè profundissiméque vnitam, hoc est, intimissimè & ineffabiliter propiùs & profundiùs apud se præsentem, quàm vllus humanus intellectus cogitare, aut Angelica lingua in æternum effari possit, quod est magnum mysterium. 1. Timoth. 3. v. 16. *& irrefragabilis veritas in diuino Verbo, cui nemo sine*

læsio-

læsione conscientiæ suæ potest contradicere, &c.

Videat Hunnij Tom.1. fol.177.& seqq. & fol. 259. & seqq. ibi videbit, nos libenter concedere 1. Corpus Christi in statu humilitatis creaturis non fuisse omnipræsens, nempe quantitatiuè & visibiliter. 2. Licèt Dei Filius hanc suam assumptam naturam omnibus in locis sibi præsentem habeat, manet tamen talis præsentia in persona iuxta naturam, & vim factæ vnionis, à qua omnia loca & spatia quanta penitus excluduntur. 3. In statu Humiliationis Corpus Christi, vel natura humana non fuit omnipræsens, quantum ad plenarium incessabile regimen & gubernationem omniũ creaturarum attinet, quæ primùm post exaltationem ad dexteram Dei secuta est. Ephes.1.v.21. 4. *Humana natura humiliationis, non vidit actu, nec scinit, quid in omnibus locis aliis, vbi non fuit localiter & expansè, fieret & ageretur. Etsi enim id scire potuisset, Filius tamen Dei secundùm carnem in statu Humiliationis se eiusmodi pleno & continuo vsu liberè priuauit.* Ita Saxonici Defensores Pupillæ, contra Collyrium Forerianum, fol. 633. 634. 635. edit. Lips. in 4. cum quibus conspirant Hassiaci Darmstatenses & alij.

Sed hæc sunt mera verborum crepitacula, omni ratione, omni verâ Scripturâ, omni authoritate SS. Patrum & Conciliorum destituta.

Nam

Nam I. per inuisibilem & illocalem Omnipræsentiam, quam asserunt, etiam visibilis & localis motus Christi in Scripturis traditus, penitus destruitur & aboletur: quia Corpus Christi, si inuisibiliter secundùm substantiam fuit Vbique, non potuit tum etiam visibiliter & localiter secundùm illam substantiam reipsâ verè propriéque moueri de loco in locum, & vnum deserere, & alium acquirere, vt iam suprà §. 1. ostendi, sed apparenter duntaxat, & ad meram fallaciam oculorum. Quod enim est Vbique, est simpliciter incapax, & inhabile, vt manens Vbique secundùm substantiam vnum locum deserat, quocunque modo, & alium locum acquirat; cùm *actu secundo* iam omnes locos occupet, secundùm eandem substantiam: & eo ipso, si secundùm substantiam vnum locum deserat, & alium acquirat, cesset esse Vbique secundùm substantiam. Si ergo tantùm moueatur visibiliter, & secundùm sensum exteriorem; mouetur tantùm phantasticè, ac per ludibrium videntium, non autem mouetur reipsâ secundùm substantiam; quæ cùm vnica sit, illi non possunt simul eodem tempore & loco conuenire contradictoria, nempe quòd deserat locum A secundùm substantiam, quia inde mouetur; & non deserat secundùm substantiam, quia adhuc manet ibi secundùm substantiam,

licèt

licèt ſub alio modò exiſtendi; & quoque acquirat locum B. ſecundùm ſubſtantiam, quia iam antè fuit ibi ſecundùm ſubſtantiam prorſus eandem, quæ ſunt aburdiſſima.

II. Falſum eſt, eandem Humanitatem Chriſti, quæ localiter & viſibiliter, *ac ſuæ naturæ conuenienter, iam hoc, iam alio loco fuit*, alio *multò altiore modo* fuiſſe Vbique, propter perſonalem Vnionem; tùm quia, Vbiquiſtis ipſiſmet fatentibus, perſonalis vnio non mutauit in ſe humanam naturam, ſed, vt teſtatur 4. Synodus Chalcedonenſis, *vtramq; naturam ſaluam & integram* reliquit, ita vt propter vnionem perſonalem, etiam actiones ab humana natura, eidem conuenienter procedentes, verè diuinæ perſonæ tribui *in concreto*, & de ea prædicari poſſint; ſic dici poteſt, Verbum, ſeu Dei Filius eſuriuit, ſitiuit, ambulauit, & Cruci affixus eſt, &c. tùm quia alioquin perſonalis vnio humanitatis fuiſſet duplex in Chriſto; vna ad actiones iſtas viſibiles & exteriores, quas conuenienter naturæ humanæ exercebat; altera *multò, multò altioris modi* ad actiones inuiſibiles & illocales; vna, per quam conuenienter naturæ, hoc eſt, viſibiliter & localiter, iam in hoc, iam in illo loco fuiſſet: altera, per quam cum diuinâ perſonâ, ad actiones illocales & inuiſibiles *multò, multò profundiùs, præſentiùs, & propiùs* fuerit coniuncta;

quæ

quæ sunt planè inaudita in omni orthodoxà Ecclesia. Quomodo enim vnica vnio personalis potuit Verbum cum Humanitate *arctiùs*, *propiùs*, *præsentiùs*, & *profundiùs* copulare respectu vnius actionis, quàm respectu alterius? Est igitur merissimum & putidissimum figmentum. Nam vnio personalis in Christo nō est nisi vnica, per quam in persona secunda SS. Trinitatis subsistit Humanitas à Verbo assumpta, quam non negamus esse mirabilem & stupendam. Quòd verò Humanitas propter hanc vnionem in quibusdam actionibus *multò, multò profundiùs*, *propiùs* & *præsentiùs*; item *alio multò altiore, supernaturali, cælesti, ac diuino modo* vnita fuerit personæ diuinæ, vel eidem inextiterit, quàm in exterioribus visibilibus, localibus actionibus, quas Christus conuenienter naturæ humanæ, iam in hoc, iam in alio loco peregit, hoc dicimus esse monstrosum, & absurdissimum assertum, & nec Testimoniis Scripturæ, nec Orthodoxæ Antiquitatis, nec vlla solida ratione suffultum, sed ex impuro cerebro desumptum commentum. Forerus vtique considerat in Christo naturam verè humanam cum suis naturalibus veris proprietatibus in persona Diuina subsistentem, non autem in humana; ita tamen, vt in actionibus humanis non natura Diuina, sed tantùm humana operata sit tanquam *princi-*

pium Quo, vt vocant, in diuinis verò non humana, ſed tantùm Diuina fuerit *principium Quo* operationis, ex quo tamen neutiquam ſequitur, humanam naturam Chriſti in vna actione fuiſſe propiùs, profundiùs, prçſentiùs, altiore modo cæleſti & ſupernaturali vnitam & coniunctam, quàm in altera.

III. Cùm dicunt *Pupilliſta*, Filium Dei vi vnionis perſonalis *à ſua natura aſſumpta, nuſquam ſeparatum, ſolutum, abſentem, diſtantem* fuiſſe, idem eſt, ac ſi dicerent, eum in omni loco habuiſſe ſibi illam ibidem *præſentem* & *vnitam*, Vbicunque ille fuit; hoc à Catholicis, vt falſum ſemper negatur; & ſic Aduerſarij probant idem per idem. Cùm enim immenſa perſona Diuina, naturam humanam ex ſe terminatam, circumſcriptam, & Verbo minimè adæquatam, infinities excedat, neceſſe eſt, innumeris locis illam exiſtere, quò hæc naturali ſuâ præſentiâ, quam ei vnio perſonalis non ademit, ſe extendere non poteſt: & conſequenter, licèt Humanitas hypoſtaticè Verbo poſſit dici, in certo aliquo loco, *ſimpliciter* & *abſolutè* vnita; attamen *ſecundùm quid* in multis aliis locis, eidem perſonæ etiã poteſt dici *non vnita*, & ibi præſens, ſed à perſona Diuina illic ſeparata, & abſens, nempe pro illis locis, in quibus non exiſtit: quod nego eſſe abſurdum; in quo ſenſu ſi accipiantur il-

la

la vocabula (*separatam, solutam, absentem, distantem, non vnitam esse,*) vt illic non significent *simpliciter* omnimodam & absolutam negationem coniunctionis, seu nexûs Humanitatis cum persona Diuina, respectu omnium locorum totius mundi, sed tantùm respectu aliquorũ; iam nullam vim ampliùs habeat illorum argumentũ. Et est falsum secundùm Damascenum, per *indistanter* intelligi, *omnipræsenter*, vt malè explicant, & falsò illi affingunt Pupillistæ. Vt enim duo inter se dicantur *non distare*, seu *indistanter se habere*, nõ est necesse, vt vnum sit, vbicunque est aliud, sed tantùm, vt alicubi simul sint. Nam si nusquam simul essent, tunc verè inter se *distarent*: sicut Sol non distat à suo orbe, cui infixus est, & tamen non vbicunque orbis est, & ipse est, vt rectè notauit Bellarminus, lib. 3. cap. 17. & Tannerus Tomo 4. Disp. 1. de Incarnat. q. 6. dub. 5. n. 55.

IV. Habuit quidem Humanitas suam *permanentiam*, seu rectiùs suam *subsistentiam* in Verbo, per vnionem hypostaticam, sed etiam habuit in actionibus, quas naturæ humanæ conuenienter exercuit; & habebit eam per omnem æternitatem: Falsum tamen est, illam habuisse hanc permanentiam, seu subsistentiam in vtero B. V. *minùs propè*, *minùs profundè* aut *intimè*, quàm *extrà*, in actionibus

bus aliis quibuſcunque humanis; Falſum eſt nihilominus *præterea*, adhuc alio *propiore*, *arctiore*, *intimiore* vinculo aut modo Dei Filium cum humanitate aſſumpta copulatum fuiſſe; per quem modum Vbique exſtiterit: quæ eſt Vbiquiſtica inſania.

V. Falſum quoq; eſt, propter hanc vnionem potuiſſe iſtum hominem dicere, quando in terra cum Nicodemo ſtabat, quòd Filius hominis ſecundùm humanitatem in cælo exiſtat. Humanitas enim tunc in ſola terra erat, non autem in cælo, ad quod primùm poſt reſurrectionem aſcendit; tametſi verum fuerit tunc dicere, Filius hominis ſtans in terra apud Nicodemum, ſecundùm Diuinitatem eſt in cælo.

VI. Falſum item eſt, Filium Dei ſtantem apud Nicodemum, ſuam humanitatem *non propius* apud ſe habuiſſe, quàm in ſupremo cælo: Habuit enim apud Nicodemum ſibi *ſimpliciter* præſentem, & vnitam; non habuit in ſupremo cælo, in quo tunc non fuit Humanitas, licèt fuerit Diuinitas.

VII. Etiã falſum eſt, Filium Dei ſibi Humanitatem non vniuiſſe ſecundùm hunc, aut illum locum indeterminatè, vbi illa naturaliter & viſibiliter exiſtit, aut exiſtet; ſed *ſine conſideratione expanſi & circumſcripti loci*, *intra ſuã perſonam*, quaſi nec ſpatio, nec loco cõprehen-

hensam, retinuisse. Quod neque in Scriptura, neque vllo Concilio legitur; & est ab omni veritate alienum.

VIII. Quæ ex Hunnio proferunt, dudum sunt refutatæ à Bellarmino, Gretsero, & aliis falsitates ac nugæ. Nam 1. neque Christus in statu humilitatis fuit, neque in statu gloriæ est omnipræsens secundùm humanitatem, vt iam suprà probauimus.

2. Falsum est, Filium Dei naturam assumptam omnibus locis sibi præsentem ac vnitam habere: sicuti falsum est, *à natura, & vi facta vnionis hypostaticæ, omnia loca & spatia quanta, penitus excludi.*

3. Ineptum est, naturam humanam non fuisse omnipræsentem, *quoad plenarium regimen & gubernationem omnium creaturarum*, nisi post exaltationem ad dexteram: quia iam suprà ostendimus, sessionem ad dexteram nihil prorsus facere ad omnipræsentiam; neque hanc necessariò requiri ad officium regni & gubernationis in Christo.

4. Falsum quoque est, humanam naturam in Christo *non sciuisse actu*, quid in omnibus aliis locis gereretur, vbi non fuit localiter, & expansè. Contrarium optimè probat Bellarminus lib. 4. de Christo aliquot capitibus: & Gretserus ibidem, aliíque Catholici. Quomodo enim non sciuerit Christus omnia,

qui

qui in primo puncto Incarnationis fuit plenus gratiæ & veritatis? Ioan. 1. Quamuis enim & alij *pleni gratiâ* prædicentur, ipsis tamē gratia data est secundùm *mensuram donationis Christi*, ad Ephes. 4. Christo autem Dei Filio data est *sine mensura*; &, si Prophetis Deus dedit plurimarum absentium rerum scientiam, quomodo non dedit Christo omnium necessariarum ad suum officiū? in quo etiàm fuit scientia beata & infusa, & vt Paulus loquitur, *in quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei*, Coloss. 2. v. 3. imò etiam ipsa Diuinitas.

Hæc breuiter volui Testimoniis SS. Patrum, velut Prolegomena præmittere: & vt meliùs ipsi Patres intelligantur, & vt efficaciùs Vbiquitarij confutentur; quorum sententia ab Orthodoxæ veræ Christianæ fidei recto tramite tam est abhorrens & aliena, vt vix aliquid absurdius in summam ignominiam Christi cogitari possit.

Imus autem per omnes Christiani nominis ætates, è quarum singulis, vnum, duos, aut plures adducimus, ex quibus communem sensum etiam aliorum Patrum illius sæculi doctissimorum, & celeberrimorum, non immeritò possumus concludere. Sic illa habent.

TESTIMONIA

PATRVM AC DOCTORVM ECCLESIÆ CATHOLICÆ,

CONTRA

VBIQVITATEM HVMANITATIS CHRISTI.

INDEX

INDEX

TESTIMONIORVM EX ORTHODOXIS PATRIBVS, PER SINGVLA SÆCVLA.

An. Christi 92. S. Ignatius Martyr.
An. 180. S. Irenæus Martyr.
An. 196. Tertullianus.
An. 200. Clemens Alexandrinus.
An. 229. Hippolytus Portuensis M.
A. 235. Origenes.
A. 320. Eusebius Cæsariensis.
A. 330. Athanasius.
A. 340. Eustathius Antiochenus.
A. 350. S. Hilarius Pictauiensis.
A. 360. S. Cyrillus Hierosolymitanus.
A. 364. Titus Bostrensis.
A. 365. Didymus Alexand.
A. 370. S. Basilius.
A. 370. S. Ambrosius.
A. 380. S. Epiphanius.
A. 380. S. Gregorius Nazianzenus.
A. 380. S. Gregorius Nyssenus.

A. 600. Ana-

A. 600. Anastasius Sinaita.
A. 620. Isidorus Hispalensis.
A. 640. Maximus M.
A. 649. Martinus I. Papa cum Concilio Lateranensi 105. Patrum.
A. 660. S. Hildephonsus Toletanus.
A. 700. D. Aponius.
A. 700. Venerabilis Beda.
A. 730. S. Damascenus.
Circa idem tempus S. Stephanus Aeduensis Episcopus.
A. 750. Alcuinus Flaccus Albinus.
A. 815. S. Nicephorus.
A. 820. Oecumenius.
A. 830. Glossa ordinaria.
A. 830. Haymo Halberstat.
A. 840. Eginardus.
A. 880. Remigius Antisiodorensis.
A. 940. Theodorus Abucara.
Circa idem tempus. Theophanes Cerameus Episcop.
A. 950. Moses Barcepha.
A. 1030. Adelmannus Episcopus Brixiensis.
A. 1060. Guitmundus Aversanus.
A. 1080. Euthymius.
A. 1106. Petrus Alphonsus.
A. 1120. Michaël Glycas.
A. 1130. D. Algerus Monachus.
A. 1130. S. Bernardus.

A. 1431. Con-

A. 1431. Concilium Basileense.
A. 1470. Dionysius Richel.
A. 1470. Dionysius Carthusianus.
A. 2489. Thomas Dorniberg.
A. 1494. Marsilius de Inguen : quem Busæus ponit anno 1394.
A. 1494. Gabriel Biel.
A. 1515. Ioannes Altensteig.
A. 1520. Thomas Caietanus Cardinalis.
A. 1524. Ioannes Eckius,
A. 1526. Ioannes Roffensis Episcopus.
A. 1526. Natalis Beda cum testimonio Facultatis Theologicæ Sorbonensis Parisiis.
A. 1526. Iodocus Clichtoueus.
A. 1564. Georgius Cassander.
A. 1575. Claudius Sainctes Episcopus Ebroicensis.
A. 1630. Excerpta posteriora ex Monumentis S. Facultatis Theologicæ Parisiensis Sorbonæ.
A. 1630. Chrysanthi Archiepiscopi Lacedæmoniorum in Græcia.

An.Chr. 92.

S. IGNATIVS M. Episcopus Antiochiæ.

In Epistola ad Trallianos.



Hristus verè edit & bibit, crucifixus & mortuus est sub Pontio Pilato. Verè, inquam, non hominum opinione, crucifixus, & mortuus est, *&c. Et paulo pòst:* Descendit ad Infernum solus, regressus autem est cum multitudine, *&c.* Sabbato sub terra in monumento REMANSIT, in quo posuit eum Ioseph Arimatheus. *Item.* Reuerà natus est Deus Verbum ex Virgine, vestitus corpore obnoxio IISDEM PASSIONIBVS NOBISCVM.

NOTA. I. *Sicut Christus propriè ac* verè *crucifixus & mortuus est, non* apparenter *duntaxat, & secundùm hominum opinionem, Marcioniticè, ita ex mente S. Ignatij,* verè *descendit ad Inferos: Verus autem & propriè dictus* descensus *non est, nisi superior locus deseratur, & inferior, qui antea non occupabatur, de nouo acquiratur. Qui enim manet in superiore loco, & simul iam est in inferiore, quomodo descendere illuc dicendus est? Nec valet hîc distinctio Aduersariorum, quâ de* Ascensû *Christi ad cælos dicunt, Christum ascendisse secundùm suam præsentiam visibilem; in cælo autem iam antè fuisse secundùm præsentiam inuisibilem. Nam Christus descen-*

descendit ad Inferos non corpore, sed solâ animâ, corpore interim in sepulchro manente: Anima autem non habuit visibilem, sed inuisibilem præsentiam: descendit ergo tantùm secundùm inuisibilem præsentiam. Itaque si verè descendit anima, tunc illa tam corpus, quam sepulchrum deseruit, & in locum transijt, vbi antè non fuit: quia si antea in inferno fuisset, quid opus fuisset illam eò descendere, vt ibi bis esset, & quidem inuisibili præsentia? Iam enim poterat ibi agere per primam præsentiam inuisibilem, sine nouâ aliâ præsentiâ inuisibili, quod egit, posteaquam illuc inuisibiliter descendit.

NOTA II. *Si* verè crucifixus est Christus, *tunc* verè *claui ferrei transfixerunt manus & pedes illius, dissoluta vnione continui* (*sine his enim non est vera, sed tantùm apparens transfixio*) *ideo à se inuicem partes carnis* verè *diuulsæ & dilaceratæ fuerunt: & quidem per* vera *foramina, in quibus non fuit, nec mansit caro; quippe perfossa; cauitatémque seu vacuitatem foraminis habuit impletam à clauis. Hoc autem dici non potest, si Caro Christi tunc Vbique fuit; quia etiam in locis foraminum, seu fixuris clauorum, imò in ipsis clauis caro permansisset, nec vera foramina, nec vera fixura clauorum fuissent, sed apparenter tantùm*, & secundùm hominum opinionem; *Ergo assertâ Vbiquitate dici non potest, quòd verè Christus crucifixus fuerit.*

NOTA

NOTA III. *Si Christus Sabbato* in monumento remansit, *secundùm eam partem remansit, secundùm quam illum Ioseph Arimatheus ibi reposuit. At illum reposuit secundùm corpus, non secundùm animam, quam Christus iam in Cruce expirauerat. Ergo corpus & anima tunc fuerunt separata, & non ampliùs simul; sed corpus remansit in sepulchro, anima descendit ad Inferos. Ergo neutra pars tunc fuit Vbiq;, sed vnaquaq; in determinato & separato loco.*

NOTA IV. *Si Christus natus & vestitus est corpore* obnoxio iisdem passionibus nobiscum, *tunc corpore non fuit Vbique. Corporis enim nostri* passio *est circumscriptum loco esse, & ita localiter moueri, vt verè deserto vno loco, quem priùs occupauit, in alium, quem non occupauit, transferatur. Corpori autem Christi, secundùm substantiam, si Vbique fuit, hoc non conueniebat. Nā semper secundùm substantiam manebat ibi, vnde mouebatur, & semper iam priùs erat ibi, quocunque mouebatur, secundùm Vbiquistas, saltem inuisibiliter; quæ nequaquam est proprietas seu passio corporis nostri. Aduersatur igitur S. Ignatius manifestè Vbiquitati, & illam funditus subruit; dum ait,* verè & *non apparenter tantùm, ac opinione hominum, crucifixum esse & mortuum, ad inferos descendisse, & ad cælum ascendisse. Certè si Vbiquistæ eò deueniant, vt dicant, motum localem, qui Christo in Scriptura toties tribuitur, non fuisse verè propriè*

dictum

dictum motum, sed duntaxat apparentem, & Metaphoricum, nihil abest, quin dicant, eum quoque non fuisse propriè hominem, sed tantùm apparenter, & phantasticè, quod antiquissimi hæretici docuerunt; quod est ferè totam Scripturam abolere de Christo.

S. IRENÆVS Martyr. An.Chr. 180.

Lib 5. cap. 31.

QVi ergo vniuersam reprobant resurrectionem, & quantum in ipsis est, auferunt eam de medio, quid mirum est, si nec ordinem resurrectionis sciunt nolentes intelligere, quoniam si hæc ita essent, quemadmodum dicunt, ipse vtique Dominus, in quem se dicunt credere, non in tertia die fecisset resurrectionem, sed super crucem expirans, confestim vtique abiisset sursum, corpus relinquens terræ. Nunc autem tribus diebus conuersatus est, vbi erant mortui, quemadmodum Prophetia ait de eo: Commemoratus est Dominus Sanctorum mortuorum suorum, eorum, qui antè dormierunt in terram stipulationis, & descendit ad eos, extrahere eos, & saluare eos. Et ipse autem Dominus, quemadmodum ait: Ionas in ventre ceti tres dies & tres noctes mansit, sic erit Filius hominis in corde terræ. Sed & Apostolus ait: Ascendit

autem,

autem, quid est, nisi quia & descendit in inferiora terræ? Hoc & Dauid in eum prophetans dixit: Et eripuisti animam meam ex inferno inferiori. *Et paulò pòst:* Cùm enim Dominus in medio vmbræ mortis ABIERIT, vbi animæ mortuorum erant, pòst deinde corporaliter resurrexit, & post resurrectionem assumptus est; manifestum est, quia & discipulorum eius, propter quos & hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in inuisibilem locum, definitum eis à Deo, & ibi vsque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem, pòst recipientes corpora, & perfectè resurgentes, hoc est, corporaliter, quemadmodum & Dominus resurrexit: sic venient ad conspectum Dei. Nemo enim est discipulus super Magistrum: perfectus autem omnis erit, sicut Magister eius. Quomodo ergo Magister noster non statim euolans abiit, sed subsistens definitum à Patre resurrectionis suæ tempus, quod & per Ionam manifestatum est, post triduum resurgens assumptus est; sic & nos substinere debemus definitum à Deo resurrectionis nostræ tempus, prænuntiatum à Prophetis, & sic resurgentes assumi, quotquot Dominus ad hoc dignos habuerit.

NOTA. I. *S. Irenæum apertè tribuere Christo post mortem, verum* abitum, *seu discessum in locum vmbræ mortis, hoc est, in infernum ad animas*

mas mortuorum: Scriptura autem, & ipse Irenaus clarissimè testatur, Corpus Christi fuisse illo triduo in corde terræ, *hoc est*, sepulchro relictum. *Igitur necessariò loquitur* de abitu, *seu discessu animæ à corpore separatæ ad Infernum; quam animam Christus in Cruce moriens expirauit; Vnde consequens est, animam à corpore fuisse loco separatam. Neutra igitur pars fuit Vbique.*

NOTA II. *S. Irenæus comparat resurrectionem Christi cum resurrectione nostra, & ait: Sicut in morte Christi, anima eius descendit, seu abiit ad Inferos, separata à corpore, postea primùm corpori iterum se vniuit, & cum eo resurrexit, &c. ita & nostras animas per mortem abire ex corpore ad inuisibilem nobis locum, corpus verò manere in sepulchro vsque ad definitum resurrectionis diem, vt in cælum assumatur. Qua ratione apertissimum est, S. Irenæum Lutheranæ Vbiquitati Humanitatis Christi contradixisse.*

TERTVLLIANVS.

Lib. 2. contra Marcionem, c. 4. Paris. in fol. apud Michaëlem Sonnium, Anno 1584. An. Chr. 196.

POst vbi secretas Inferni venit ad vndas.
Atque suum Victor captiui luce retexit,
Astanti, iussúmque Patris virtute peregit,
Sponte suum corpus, quod LIQVERAT, ipse recepit.

Et

Et Lib. de Resurrect. carnis, cap. 37. edit. Basileens. fol. anno 1550. Beati Rhenan.

Quemadmodum enim nobis arrabonem Spiritus reliquit, ita & arrabonem carnis accepit, & vexit in cælum, pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ.

Et apud Claudium Sainctes de rebus Eucharistiæ controuersis, Repetit. 4. c. 8.

Si homo tantummodò Christus, quomodo adest Vbique inuocatus, cùm hæc hominis natura non sit, vt adesse omni loco possit?

NOTA I. *Tertullianum clarè dicere, quòd Christus idem suum corpus receperit, quod* reliquerat, *quando ad Infernum descendit; Id factum non est per Diuinitatem, quà semper Vbique, & cum corpore, & cum anima, etiam separatis, coniunctus permansit, ac descendere non potuit; Ergo necessariò ille descensus debuit fieri per solam* animam: *Ergo anima interea non fuit in corpore; ergo non fuit Vbique, alioqui corpus non* reliquisset.

NOTA II. *Cùm tota Christiana Antiquitas doceat, in Christo ita esse duas naturas, vt vtraque salua permaneat; hominis autem natura non sit, vt adesse omni loco (lege ordinaria) possit; euidens est, illam non esse Vbique præsentem. Hoc enim nostra natura vires longè supergreditur.*

CLE-

CLEMENS ALEXANDRINVS An.Chr. 200.

Lib. 6. Stromat. c. 2.

Dominus nulla alia de causa descendit ad inferos, quàm vt annunciaret Euangelium, sicut certè descendit, &c.

NOTA I. *Ad hoc vt Dominus annuntiaret animabus SS. Patrum Euangelium, id est, bonum nuntium afferret liberationis ex illo carcere, ipsámque libertatem, sufficiebat, si sola anima diuinitati vnita descenderet, corpore remanente in sepulchro; corpus enim, quia tunc mortuum erat, nihil ad hanc actionem conferre potuit.*

NOTA II. *Nec opus fuisset etiam ipsius animæ peculiari descensu; quippe quæ iam antea ibi fuit, si Vbique fuit; Hoc autem pugnat cum isto sancto Doctore.*

HIPPOLYTVS PORTVENSIS An.Chr. 229.

Contra Beronem & Helicem, Tomo 4. biblioth. p. 2. col. 951.

IDeo Verbum Deus, similiter ac nos, verè homo factum, citra peccatum, operatum, & passum humano modo, quæcunque naturæ hominis propria, culpâ carent, & naturalem circumscriptionem carnis propter nos sustinens, mutationem non pertulit. *Et mox.* Christum, *ait*, simul & immensum esse intelligíque Deum, & circumscriptum hominem,

qui vtriusque perfectam substantiam perfectè habeat. *Et hæc in primo fragmento.*

Idem in fragmento tertio, Diuinitatis operationem mansisse, *scribit*, extra naturæ circumscriptionem omnem; tametsi per carnem, naturâ terminatam fulserit; non enim natura fert, vt quod secundùm naturam factum non est, ab ea, quæ facta est, naturâ circumscribatur.

NOTA. *Si Christus quæcunque natura humana propria, (excepto peccato) humano modo habuit, & carne circumscriptus fuit, circumscriptionémque perfectè habuit; falsissimum est, quòd simul etiam in eadem natura incircumscriptus, adeóque Vbique fuerit. Impossibile enim est, idem corpus simul in eodem loco esse circumscriptum & incircumscriptum.*

An.Chr. 235.

ORIGENES

Homil. 15. in Genes.

IN fine sæculorum Vnigenitus Filius pro salute Mundi vsque ad infera descendit, & inde protoplastum reuocauit.

Et Tractat. 33. Quòd si semper Christus est omnibus suis præsens, quomodo eum introducunt parabolæ eius peregrinantem? Vide, si possimus soluere hoc modo, quod quæritur. Qui enim dicit discipulis suis: Ecce! ego vobiscum sum, vsque ad consummationem

nem sæculi: & item, Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, & ego sum in medio eorum, &c. Et qui in medium nescientium se consistit, Vnigenitus Dei est, Deus, Verbum, & Sapientia, & Iustitia, & Veritas, qui non est corporeo ambitu circumclusus. Secundùm hanc Diuinitatis suæ naturam non peregrinatur; sed peregrinatur secundùm dispensationem corporis, quod suscepit. Hæc autem dicentes, non soluimus suscepti corporis hominem, &c.

Et paulò post. Quasi homo peregrinabitur, qui erat Vbique secundùm Diuinitatis naturam. Nec enim est homo, qui est, vbicunque duo, vel tres in nomine eius fuerint congregati. Neque homo nobiscum est omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi, nec congregatis vbique fidelibus, homo est præsens, sed virtus diuina, quæ erat in Iesu.

NOTA I. *Eadem est hîc ratio, quæ circa verba Clementis. Hunc descensum ad Inferos solâ animâ peregit Dominus, non corpore, quod immotum iacuit illo triduo in sepulchro, & mortuum atque ab anima separatum fuit; si autem anima Christi iam ante in sepulchro fuit, frustra illuc denuo descendit. Ergo necesse est, non ibi fuisse. Ergo non fuit Vbique.*

NOTA II. *In duobus posterioribus locis non potest clariùs negare Omnipræsentiam Corporis*

Christi, tam in statu humiliationis, quem pere-grinationem *vocat, quàm in statu exaltationis post resurrectionem, quo nobiscum futurus est vsque ad finem Mundi, non secundùm humanam, sed secundùm naturam duntaxat diuinam: Excepto SS. Eucharistiæ Sacramento.*

An. Chr. 320. EVSEBIVS CÆSARIENSIS *de Demonstr. Euangel. lib. 4. c. 12.*

CHristus, cùm altiùs vocem emisisset, & Patri dixisset: Commendo spiritum; solutus à Corpore ABIIT; neutiquam expectans, dum mors ad ipsum accederet, &c.

NOTA. *Quomodo Christus solutus à corpore fuit, & ex illo ABIIT, nisi secundùm animam, quæ relicto corpore ad Infernum descendit? Si enim ipsa in corpore & in sepulchro quoque per Omnipræsentiam mansit, falsissimum est, Christum solutum à corpore, inde ABIISSE: nec habet hîc locum distinctio de præsentia visibili & inuisibili, vt superiùs vidimus. Anima enim visibilis non est.*

An. Chr. 330. S. ATHANASIVS *In lib. de Incarnatione, Edit. Basil. per Hieron. Frobenium, & Nicol. Episcopium 1556. Tomo 3. f. 549.*

IN Christi morte id ipsum patet, corpore non vltra sepulchrum delato; anima ad Inferos penetrante, locis ingenti interuallo discri-

ſcriminatis, ſepulchro quidem id, quod corporeum erat, quia ibi corpus aderat, recipiente, inferno verò id, quod incorporeum fuit, &c.

Ex lib. quòd duæ in Chriſto naturæ, Tom. 2. pag. 302. D. Cæſus eſt flagellis: actus eſt in Crucem: clauis affixus eſt: guſtauit mortem, ſepultus eſt, deſcendit ad Inferos anima eius: Verùm teneri non potuit, ſed corpori reddita eſt: vnde facta reſurrectio.

Item. Ex ſepulchro quidem corpus, animam verò ex inferno reducem faceret, &c.

Et Tom. 1. fol 504. apud Theologos Saxonicos in Apologia pro Deciſione Saxonica, partis ſeu ſectionis 5. cap. vnico, de incommodis nouis, &c. Quomodo poſſunt Iudæi ſoluere templum Dei, & indiſſolubile temperamentum carnis cum Verbo diſſeparare? niſi inſtar noſtri, próque noſtra ratione ſeſe habuiſſet corporis mortificatio? Non enim mori potuit Corpus ſine alicuius receſſu, qui ſi nullus factus eſt, ne mors quidem fieri potuit. Quòd ſi mors nulla fuit, nec reſurrectio fuit. Date igitur diſſolutionem ſeparationémque aliquam à corpore factam, vt ſcriptum eſt in Euangeliis, quòd expirauerit, & inclinato capite tradiderit ſpiritum, vt ſciamus, qualem ſpiritum ſuſpicamini exceſſiſſe è corpore, atq; inde mortem obueniſſe.

Et apud Theodoretum Dial. 2 fol. 92. C. in maiori oratione de Fide, ex illis Psalmi 109. verbis: Sede à dextris meis. Quæ, *inquit*, ad Corpus Dominicum pertinent. Nam si cælum & terram ego impleo, dicit Dominus, vt loquitur Ieremias, Deus autem omnia continet, nec ab vllo ipse continetur, quonã in throno sedebit.

Idem in lib. de humana natura suscepta. Tomo 1. pag. 470. apud Petauium, lib. 10. fol. 42. ait: Christum secundùm carnem mortuum, & sepultum esse, & resurrexisse, cùm secundùm spiritum (*id est, Diuinitatem*) in cælo esset, & in terrra, & Vbique.

NOTA I. *An potuit hic Pater clariùs dicere in duobus primis locis, animam illo triduo mortis non fuisse in sepulchro, & corpus non fuisse in inferno? Igitur etiam dixit NEVTRVM tunc fuisse Vbique.*

NOTA II. *Apertissimè in tertio loco dicit, Christum mortuum per verum discessum animæ ex corpore, & veram separationem.*

NOTA III. *Quamuis sessio illa ad dexteram, naturalem corporis situm minimè significet, certum est tamen, definitum aliquod indicare spatium loci, in quo comprehendatur, velut cælum. Igitur cùm hanc opponi sentiat Athanasius immensitati illi, qua Deus est vbique, non vbique esse ipsum corpus iudicauit, quod vtrumque sedere in cælis ex illis Psalmista verbis cognoscimus. Hic*

verò

verò locus eò habet firmiorem auctoritatem, quòd ad statum beatæ immortalitatis propriè pertinet.

EVSTATHIVS ANTIOCHENVS An.Chr. 340.

In quodam Tractat. apud Theodoret. Dialog. 3. Vbiquistas refellit.

COrpus sublimè in cruce pendebat, at Diuinus sapientiæ spiritus & intra corpus degebat, & cælestibus insedebat, & totam ambiebat terram, & abyssos continebat, & singulorum animos perlustrans diiudicabat, atque omnia, vti solebat, tanquam Deus administrabat. Non enim intra corporeas moles suprema sapientia inclusa continetur. &c.

NOTA. *Clarissimè dicit, Diuinam naturam in ipso Corpore Christi fuisse simul etiam, vbi corpus non fuit, & administrasse, seu gubernasse omnia, quà Deus erat, non quà homo, vt sic enim in Cruce pendebat secundùm Corpus, quod postea iacuit in sepulchro verè mortuum, non tantùm apparenter.*

S. HILARIVS PICTAVIENSIS An.Chr. 350.

In Psal. 138. in illud: Si descendero in Infernum, ades.

HVmanæ ista lex necessitatis est, vt sepultis corporibus, animæ ad inferos descendant, quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusauit.

Et lib. 10. de Trinit vltra medium : Numquid descendisse ad inferos corpus, quod in sepulchro iacuit, dicetur?

Et lib. 10. in Ioannem: Quod in cælis est, (*Christus*) naturæ semper manentis potestas est : quæ initiata, conditáque per se carne, non se ex infinitatis suæ virtute intra regionem definiti corporis coarctauit, spiritûs virtute, ac Verbi Dei potestate in forma serui manens, intra extráque cæli, Mundíque circulos, Cæli ac Mundi Dominus non abfuit.

NOTA. *Priore loco Hilarius indicat, sicut, quando homines moriuntur, Corpus in sepulchro reponitur, anima verò separatim aliò abit, ita & in morte Christi factum esse. Posteriore verò pro absurdo habet, dicere: Christi Corpus ad inferos descendisse, dum iacuit in sepulchro. Voluit ergo Christi Corpus tunc non fuisse vtrobique; multò minùs Vbique. In tertio loco clarum est, hunc Authorem sentire, Christum habuisse definitum & circumscriptum corpus, intra cuius regionem se non coarctauerit Diuinitas. Non igitur corpore fuit Vbique.*

An.Chr. 360. S. CYRILLVS HIEROSOLYMITAN.

Catechesi 14. circa finem. Colon. apud Matth. Cholin 1564. pag. 130.

CErtus sis, homo, propter multos Seductores, qui venturi sunt : qui sursum sedet, &

& hic nobis adeſt; qui vniuſcuiuſque videt ordinem & robur fidei. Non enim quia nunc NON ADEST IN CARNE, ex eo putes, quòd ſpiritu medio hîc non adſit, audiens, quæ de illo dicuntur, & videns, quæ tu cogitas, &c.

Idem Cyrillus ab Ioanne Cypariſſioto citatus lib.7. c. 1. apud Petauium lib.10 tom.4. fol.42. in Catecheſibus ſic habet: In mera Diuinitate ſuperuacaneum eſt, cogitare aſcenſum, & deſcenſum. Potentia enim illa, quæ omnia continet: ille qui Vbique omnibus adeſt, qui vniuerſa ſpiritu ſuo circumdat, non transfertur à locis in loca; ipſius eſt; cælum & terram ego impleo; ſi igitur implet, quò tranſmittatur? ita fit, vt (aſcendit & deſcendit) ſuperuacuum ſit in Diuinitate. In Saluatore autem, & in diſpenſatione aduentûs eius in carne, propriè dicitur, aſcendit & deſcendit.

NOTA I. *Vult dicere: Hic nobis adeſt Diuinitate, non enim adeſſe Humanitate, ipſemet ſtatim ſubiungit, cùm ait:* Non adeſſe in carne: *neque obtrudas ineptè tuum* viſibiliter, *nam ſi ſecundùm carnem ſaltem inuiſibiliter eſſet Vbique, audiret nihilominus, quæ de illo dicuntur, & videret, quæ nos cogitamus.*

NOTA II. *Ideo dicit,* aſcendit & deſcendit, *in Diuinitate ſuperuacuum eſſe, & locum non habere, quòd Diuinitas ſit Vbique, & omnia impleat. Si ergo & Humanitas eſſet Vbique, & omnia*

impleret, nec illa posset propriè ascendere, *&* descendere *secundùm hunc Cyrillum*.

An.Chr. 364.

TITVS BOSTRENSIS

In Commentario ad cap. Lucæ 23. Hæc verba Christi in Cruce enarrans: Hodie mecum eris in Paradiso, ait.

IMplens omnia Diuinitate, & in Cruce propter carnem erat, & in cælo propter Diuinitatem, ac rursus de Cruce descendens, & in inferno erat, & Latronem in paradisum introduxit diuinitatis suæ præsentia. *Citatur à Petauio loc. cit. Et quamuis Bellarminus de Scriptoribus putet hunc Titum non esse auctorem huius scripti in Lucam, non tamen negat esse alicuius posterioris, & probati patris scriptum. Etiam Petauij iudicium non est contemnendum.*

NOTA. *Pulcherrimè distinguit præsentiam humanam certo loco circumscriptam, & definitam à præsentia Diuina, quæ est Vbique.*

An.Chr. 365.

DIDYMVS ALEXANDRINVS

De Spiritu S. apud Claudium de Sainctes.

IPse Spiritus S. si vnus de creaturis esset, saltem circumscriptam haberet substantiam, sicut vniuersa, quæ facta sunt; nam etsi non circumscribantur loco & finibus inuisibiles creaturæ, tamen proprietate substantiæ finiuntur; Spiritus autem S. cùm in pluribus lo-

eis

cis sit, nō habet circumscriptam substantiam. Si Apostoli in extremis finibus terræ, ob testimonium Domini constituti distabant inter se longissimis spatiis, aderat autem eis inhabitator Spiritus S. incircumscriptam habens substantiam, demonstratur Angelica virtus ab hoc prorsus aliena. Angelus quippe, qui aderat v. g. Apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodem tempore aliis in partibus cæteris constitutis. Spiritus autem S. non solùm seiunctis à se hominibus præstò est, sed & cæteris quibusque Angelis, Principatibus, Thronis, Dominationibus inhabitator adsistit, & vt homines sanctificans alterius, quàm sunt homines, est naturæ.

NOTA *Omnia quæ facta sunt, circumscripta sunt, & finita in hoc mundo. Vnde probat Didymus, Spiritum S. non esse creaturam, quia Vbique. Cùm ergo & Humanitas Christi creatura sit, ipsa in se non est Vbique secundùm suam substantiam.*

S. BASILIVS

An. Chr. 370.

In Concione 13. in Psal. 48. circa finem.

VErumtamen redimet Deus animam meam de manu inferi, cùm acceperit me. Manifestè, inquit, vaticinatur Domini ad Inferos descensum, qui cum aliis etiam ipsius animam redimet, ne illic maneat.

NOTA.

Nota *Nihil dubij est, quin loquatur de sola anima, cùm corporis in sepulchro positi nullam prorsus faciat mentionem: nec Scriptura, quam interpretatur, nisi de sola anima loquatur.*

An.Chr. 370.

S. AMBROSIVS

Lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento, edit. Basil. 1555. apud Froben. c. 15. fol. 181. & in Paris. 1569. fol. 428. 429.

ET corpus quidem eius iacebat in tumulo, ipse autem inter mortuos liber, remissionem in inferno positis, soluta mortis lege, donabat.

Et infrà post medium. Ipsa anima etsi fuit in abysso, iam non est, quia scriptum est, quoniam non relinques animam meam in inferno, non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Et lib. 2. de fide, c. 4. Neque enim Deus de loco ad locum transit, qui vbique semper est. Vt homo est, qui vadit, ipse qui venit, denique & alibi dicit: Surgite, eamus hinc. In eo ergo vadit & venit, quod est commune nobiscum.

Et lib. 1. de Spiritu S. c. 7. Cùm igitur omnis natura certis naturæ suæ sit circumscripta limitibus (siquidem & illa inuisibilia opera, quæ non queunt locis & finibus comprehendi, substantiæ tamen suæ proprietate clau-

claudunt) quomodo quis creaturam audeat appellare Spiritum S. qui non habeat circumſcriptum determinatúmque virtutis locum, cùm & in omnibus, & Vbique ſemper ſit, quod vtique Diuinitatis & Dominationis eſt proprium. Domini eſt terra & plenitudo eius. *Ibidem.* Neque Deus de loco ad locum tranſit, qui vbique ſemper eſt, vt homo eſt, qui vadit, ipſe eſt, qui venit.

NOTA I. *In inferno quidem Chriſtum fuiſſe, ſed ſecundùm ſolam animam, Diuinitati coniunctam, & Patribus antiquis vincula carceris relaxaſſe.*

NOTA II. *Apertè dicit; animam Chriſti iam non amplius eſſe in abyſſo, ſeu inferno. Ergo apertè dicit,* Non eſſe Vbique.

S. EPIPHANIVS An. Chr. 380.

Hæreſi 69. de Arianis.

OMnia ſuſcepit, quo in carne condemnaret peccatum, & in Cruce diſſolueret maledictionem, & in monumentum ſepulchri detraheret corruptionem, & in infernum deſcendens, CVM ANIMA in Deitate ſtimulum mortis confringeret, &c.

Item. Volebat Deitas omnia perficere, quæ ad paſſionis myſterium pertinent, & CVM ANIMA deſcendere ad inferna, ad operandum ſalutem eorum, quæ prædormierunt,

runt, Sanctorum, inquam, Patriarcharum.

Nota. *Viden' iterum, Lector, quomodo iste sanctus Pater descensum Christi ad inferos non tribuat, nisi animæ Christi, nulla penitus corporis facta mentione.*

An. Chr. 380. S. GREGORIVS NAZIANZENVS *in priore ad Cledonium epist. apud Petauium loco cit.*

VNum eundémque Christum vocat patibilem carne, impatibilem Diuinitate, corpore circumscriptum, incircumscriptum spiritu, eundem terrenum & cæleſtem, visibilem & intelligibilem, comprehensibilem & incomprehensibilem.

Nota. *Quomodo est Vbique, si est simpliciter, & absolutè circumscriptus secundùm humanam naturam.*

An. Chr. 380. S. GREGORIVS NYSSENVS *in lib. Catechetico, laudatus à Theodoreto Dialog. 2. p. 69. C.*

QVis hoc dixerit circumscriptione carnis, velut quodam vase immensitatem Diuinitatis fuisse comprehensam?

Item ibidem. Quòd si hominis anima naturæ necessitate commista corpori liberè Vbique versatur, quæ necessitas cogit dicere Diuinitatem natura carnis includi? Item in

Euno-

Eunomium, qui dicit, vado: localem discessum significat: quod autem per omnia graditur, & in omnibus existit, & omnia continet, non habet, quo discedat, eò quòd diuina plenitudine nihil est vacans.

Nota. *Non igitur corpus est Vbique, sed loco circumscribitur, extráque illud diuina natura immensitas diffunditur.*

AMPHILOCHIVS An. Chr. 380.

In quodam Excerpto Photij apud Petauium loco cit. p. 40. vbi vberrimè explicat, quomodo sine detrimento hypostaticæ vnionis, natura Christi humana non sit Vbique. Ita ergo quæstionem proponit.

SI minimè circumscripta est Filij Diuinitas, caro, quam assumpsit, vel est Vbique (si quidem vbi est Diuinitas, ibi illam oportet esse) vel si loco circumscripta est. *Respondet Amphilochius.* Dei proprium esse, vt vbicunque est, totus ibi sit, adeóque sit Vbique totus, quo fit, vt in adiuncta sibi carne totus sit, & ex toto. Neque propterea, quòd Vbique est ipse, humana verò natura loco, tempore, initio, fine & partibus aliis definita est; idcirco vel minimus separationi aditus conceditur. Quam quidem is demum inuehit, qui Deum etiam intra carnem assumptam loco circumscriptum, falsò sibi finxerit, & Vbique per

per partes adesse, non ex toto, quibuscunque præsens adest Deus.

Nota. *Sensus est: Verbum ita cum humana natura coniunctum esse, vt in hac illud totum sit, non tamen efficere, vt non etiam in aliis, & cum aliis illud existat, quibus nec adest, nec coniuncta est ipsa humanitas.*

An. Chr. 390.

S. HIERONYMVS

In Expositione fidei ad Damasum.

Illorum execramur etiam blasphemiam, qui nouo sensu asserere conantur, à tempore susceptæ carnis omnia, quæ erant Diuinitatis, in hominem commigrasse, & rursum, quæ erant humanitatis, in Deum esse transfusa. Vt, quod nulla vnquam hæresis dicere ausa est, videatur hac confusione exinanita substantia Deitatis, videlicet & Humanitatis, & à proprio statu in aliud esse commutata.

Idem in cap. 13. Oseæ. Liberauit omnes Dominus, & redemit in passione Crucis, & effusione sanguinis sui, quando anima eius descendit in infernum, & caro eius nõ vidit corruptionem, &c. *Et in c. 4. ad Ephes.* Inferiora terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster descendit, vt Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cælos victor adduceret.

Nota. *Si ea, quæ sunt Diuinitatis, in humani-*

manitatem non migrarunt, nec transfusa sunt, sequitur nec Omnipræsentiam commigrasse in illam: reliqua iam sunt explicata de anima.

THEOPHILVS ALEXANDRINVS
in Epist. 1. Paschali.

An.Chr. 390.

SAluator tollens animam, & separans à corpore suo, tempore passionis, rursus eam in resurrectione suscepit, & multò antè, quàm faceret, loquebatur in Psalmo 15. Non derelinques animam meam in inferno. Nec credibile est, quòd ad inferos caro eius descenderit, vel prudentia carnis, quæ appellata sit anima, Inferis apparuit, sed quod CORPVS POSITVM IN SEPVLCHRO, & ipse nec de corpore, & sapientia carnis, nec de Diuinitate sua dixerit, Non relinques animam meam in inferno, &c.

NOTA. *Ista euidentissimè demonstrant, Theophili mentem fuisse, nec Corpus Christi illò triduo in Inferno, nec animam Christi in sepulchro fuisse, proinde neutrum Vbique fuisse.*

RVFFINVS
in Symbolum Apostolicum.

An.Chr. 390.

AScendit Christus ad cælos, non, Vbi Verbum Deus antè non fuerat, quippe qui erat semper in cælis, & manebat in Patre; sed Vbi Verbum caro factum antè non sederat.

NOTA. *Frustra laborare aliquos Vbiquistas dicentes, Ruffinum posse intelligi de sessione ad dexteram, quæ tunc primùm inceperit, postquam in cœlos Christus ascendit; occultâ verò & latente Omnipræsentiâ carnem Christi etiam ante Ascensionem in cœlis fuisse. Sed hoc figmentum esse, ex ipsa discordia Vbiquistarum de hac* sessione ad dexteram *planissimum fit, vt ostendi in Manuali Lutheranorum, parte 2. cap. 9. fol. 399. & seqq. vbi inter se acerrimè decertant, quo tempore Christus sedere ad dexteram cœperit. VVirtenbergici enim contendunt Christum etiam in statu humiliationis, secundùm humanitatem à primo puncto conceptionis iam sedisse ad dexteram Patris, quamuis latenter, negant id Saxonici & Hassiaci.*

Deinde licèt per dexteram Patris in isto art. Symbol. intelligeretur Omnipotentia & Omnipræsentia Dei, (quod non concedimus) minimè tamen inde consequeretur, Christum secundùm carnem esse Vbique, sicuti non sequitur: Caput hominis toti animæ rationali vnitum est; quandoquidem anima indiuisibilis est, & non potest in capite esse tantùm ex dimidio, aut parte sui, non enim habet partes. Sed anima rationalis est etiam in toto corpore. Ergo quoq; caput est in toto corpore. Diceres capite carere illum, qui sic ratiocinaretur. Etsi enim anima tota capiti vnita sit, non tamen est vnita totaliter.

GAY-

GAVDENTIVS BRIXIENSIS An.Chr.
Tract.6. de Exod. In Biblioth. PP. Tom.4. f.810. 390.
Colon. Anno 1618.

NOcte, qua corpus EXANIME RELINQVENS in Cruce Dei Filius, transiit CVM ANIMA ad Ægyptum inferiorem, vt animas in inferno positas visitaret.

NOTA. *Si anima Christi iam antè in inferno fuit, quæ necessitas erat, vt Dei Filius (qui haud dubiè etiam antea in inferno fuit) cum anima de nouo ad infernum descenderet? Annon potuit hoc officio visitationis, cum anima Christi iam ibi præsente, sine descensu isto defungi? Quomodo etiam anima in Cruce suum Corpus* reliquit exanime, *si anima nihilominus adhuc in Cruce re*mansit *in corpore? Remansisse autem illam est necesse, secundùm Vbiquistas, si fuit Vbique.*

S. AVGVSTINVS An.Chr.
In Epistola 57. ad Dardanum. In Tomo 2. Basileæ 400.
apud Ioannem Frobenium anno M. D. XXVIII. impresso, & emendato per Des. Erasmum Roterodamum in Epistola LVII. ad Dardanum, solutione primæ quæstionis folio 175. lit. A. & 2. Tomo edit. Paris. anno 1571. apud Guil. Merlinum, &c. f. 96. b. col. 1.

SI ergo secundùm hominem, quem Verbum Deus suscepit, putamus dictum esse: hodie

mecum eris in paradiso, non ex his verbis, in cælo existimandus est esse paradisus. Neque enim ipso die in cælo futurus erat homo Christus Iesus, sed in inferno secundùm animam; in sepulchro autem secundùm carnem. Et de carne quidem, quòd eo die in sepulchro sit posita, manifestissimum est Euangelium; quòd verò illa anima in infernum descenderit, Apostolica doctrina prædicat, quandoquidem beatus Petrus ad hanc rem testimonium de Psalmis adhibet, vbi de ipso prædictum esse demonstrat: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis Sanctum tuum videre corruptionem: illud de anima dictum est, quia non ibi est derelicta, vnde tam citò remeauit, illud de corpore, quod in sepulchro corrumpi celeri resurrectione non potuit. Et paulò pòst.

Idem S. Augustinus eodem Tomo Basil. & Epistola, eodémque folio 175. lit. B.

Est autem sensus multò expeditior, & ab his omnibus ambiguitatibus liber, si non secundùm id, quod homo erat, sed secundùm id, quod Deus erat, dixisse accipiatur: Hodie mecum eris in paradiso. Homo quippe Christus illo die secundùm carnem in sepulchro, secundùm animam in inferno futurus erat, Deus verò idē ipse Christus vbiq; semper est.

Idem S. August. dicto loco, fol. 176. lit. C.

Secun-

Secundùm hominem namque in terra erat, non in cælo, vbi nunc est, quando dicebat: Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis, qui est in cælo: quamuis secundùm id, quod Filius Dei erat, esset in cælo, secundùm id verò, quod Filius hominis erat, adhuc esset in terra, nondúmque ascendit in cælum. Similiter cùm secundùm id, quod Filius Dei est, sit Dominus gloriæ, secundùm id autem, quod est Filius hominis, crucifixus sit, ait tamen Apostolus: Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Ac per hoc & Filius hominis, secundùm Deum, erat in cælo; & Filius Dei, secundùm hominẽ, crucifigebatur in terra. Sicut ergo potuit rectè dici, Dominus gloriæ crucifixus, cùm ad solam carnem illa passio pertineret, ita rectè dici potuit, hodie mecum eris in paradiso: cùm iuxta humanam humilitatem, per carnem in sepulchro, per animam in inferno, illo die futurus esset: iuxta diuinam verò immutabilitatem nunquam de paradiso, quia vbique est semper, recessisset. Noli itaque dubitare, ibi nunc esse hominem Christum Iesum, vnde venturus est, memoritérque recole, & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde quàm inde venturus est, ad viuos

mortuósque iudicandos. Et sic venturus est illa Angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cælum, id est, in eâdem carnis formâ atque substantiâ, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit, secundùm hanc formam non est putandus VBIQVE DIFFVSVS. Cauendum est enim, ne ita Diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique, vt Deus; Nam & de nobis veracissima Scriptura dicit, quòd in illo viuimus, mouemur, & sumus, nec tamen sicut ille, vbique sumus; sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrumque est vnus Christus Iesus, vbique per id, quod Deus est, in cælo autem per id, quod homo. (nempe post Ascensionem.)

Idem S. August. Tractat. 31. in Ioannem.

Homo (Christus) secundùm Corpus in loco est, & de loco migrat, & cùm ad alium locum venerit, in eo loco, vnde venit (NB.) NON EST. Deus autem implet omnia, & Vbique totus est, non secundùm spatia tenetur locis: Erat tamen Christus secundùm visibilem carnem in terra, secundùm INVISIBILEM MAIESTATEM in cælo & in terra.

NB. Per inuisibilem maiestatem intelligit

Tra-

Tractatu 50. in Ioannem, ait: Corpus suum intulit cælo, Maiestatem suam non abstulit mundo. *Item ibid.* Potest & sic intelligi, pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis; accipiant & hoc boni, sed non sint soliciti. Loquebatur enim de præsentia corporis sui: nam secundùm maiestatem suam, secundùm prouidentiam, secundùm ineffabilem & inuisibilem gratiam impletur, quod ab eo dictum est: Ecce! ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi. Secundùm carnem verò, quam Verbum assumpsit, secundùm id, quod de Virgine natus est, secundùm id, quod à Iudæis comprehensus est, quod ligno confixus, quod in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me vobiscum. Quare? Quoniam conuersatus est secundùm corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, & eis deducentibus videndo, non sequendo, Ascendit in cælum, & NON EST HIC. Vbi enim sedet ad dexteram Patris, & HIC est. Non enim recessit præsentia maiestatis. Aliter. Secundùm præsentiam maiestatis semper habemus Christum: secundùm præsentiam carnis rectè dictum est Discipulis, me autem non semper habebitis. Habuit enim illum Ecclesia secundùm præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt.

Diuinitatem, sicut & alij Patres; & ipse alibi, non autem Vbiquisticam Maiestatē, seu Omnipræsentiam, vt Vbiquistæ confingunt.

runt, Sanctorum, inquam, Patriarcharum.

NOTA. *Viden' iterum, Lector, quomodo iste sanctus Pater descensum Christi ad inferos non tribuat, nisi animæ Christi, nulla penitus corporis facta mentione.*

An. Chr. 380. S. GREGORIVS NAZIANZENVS *in priore ad Cledonium epist. apud Petauium loco cit.*

VNum eundémque Christum vocat patibilem carne, impatibilem Diuinitate, corpore circumscriptum, incircumscriptum spiritu, eundem terrenum & cælestem; visibilem & intelligibilem, comprehensibilem & incomprehensibilem.

NOTA. *Quomodo est Vbique, si est simpliciter, & absolutè circumscriptus secundùm humanam naturam.*

An. Chr. 380. S. GREGORIVS NYSSENVS *in lib. Catechetico, laudatus à Theodoreto Dialog. 2. p. 69. C.*

QVis hoc dixerit circumscriptione carnis, velut quodam vase immensitatem Diuinitatis fuisse comprehensam?

Item ibidem. Quòd si hominis anima naturæ necessitate commista corpori liberè Vbique versatur, quæ necessitas cogit dicere Diuinitatem natura carnis includi? Item in Euno-

Eunomium, qui dicit, vado: localem discessum significat: quod autem per omnia graditur, & in omnibus existit, & omnia continet, non habet, quo discedat, eò quòd diuina plenitudine nihil est vacans.

NOTA. *Non igitur corpus est Vbique, sed loco circumscribitur, extráque illud diuina natura immensitas diffunditur.*

AMPHILOCHIVS An. Chr. 380.

In quodam Excerpto Photij apud Petauium loco cit. p. 40. vbi vberrimè explicat, quomodo sine detrimento hypostatica vnionis, natura Christi humana non sit Vbique. Ita ergo quæstionem proponit.

SI minimè circumscripta est Filij Diuinitas, caro, quam assumpsit, vel est Vbique (si quidem vbi est Diuinitas, ibi illam oportet esse) vel si loco circumscripta est. *Respondet Amphilochius.* Dei proprium esse, vt vbicunque est, totus ibi sit, adeóque sit Vbique totus, quo fit, vt in adiuncta sibi carne totus sit, & ex toto. Neque propterea, quòd Vbique est ipse, humana verò natura loco, tempore, initio, fine & partibus aliis definita est; idcirco vel minimus separationi aditus conceditur. Quam quidem is demum inuehit, qui Deum etiam intra carnem assumptam loco circumscriptum, falsò sibi finxerit, & Vbique

per

per partes adesse, non ex toto, quibuscunque præsens adest Deus.

NOTA. *Sensus est: Verbum ita cum humana natura coniunctum esse, vt in hac illud totum sit, non tamen efficere, vt non etiam in aliis, & cum aliis illud existat, quibus nec adest, nec coniuncta est ipsa humanitas.*

An.Chr. 390.

S. HIERONYMVS

In Expositione fidei ad Damasum.

ILlorum execramur etiam blasphemiam, qui nouo sensu asserere conantur, à tempore susceptæ carnis omnia, quæ erant Diuinitatis, in hominem commigrasse, & rursum, quæ erant humanitatis, in Deum esse transfusa. Vt, quod nulla vnquam hæresis dicere ausa est, videatur hac confusione exinanita substantia Deitatis, videlicet & Humanitatis, & à proprio statu in aliud esse commutata.

Idem in cap. 13. Osea. Liberauit omnes Dominus, & redemit in passione Crucis, & effusione sanguinis sui, quando anima eius descendit in infernum, & caro eius nõ vidit corruptionem, &c. *Et in c. 4. ad Ephes.* Inferiora terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster descendit, vt Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cælos victor adduceret.

NOTA. *Si ea, quæ sunt Diuinitatis, in humani-*

manitatem non migrarunt, nec transfusa sunt, sequitur nec Omnipræsentiam commigrasse in illam: reliqua iam sunt explicata de anima.

THEOPHILVS ALEXANDRINVS An.Chr.
in Epist. 1. Paschali. 390.

SAluator tollens animam, & separans à corpore suo, tempore passionis, rursus eam in resurrectione suscepit, & multò antè, quàm faceret, loquebatur in Psalmo 15. Non derelinques animam meam in inferno. Nec credibile est, quòd ad inferos caro eius descenderit, vel prudentia carnis, quæ appellata sit anima, Inferis apparuit, sed quod CORPVS POSITVM IN SEPVLCHRO, & ipse nec de corpore, & sapientia carnis, nec de Diuinitate sua dixerit, Non relinques animam meam in inferno, &c.

NOTA. *Ista euidentissimè demonstrant, Theophili mentem fuisse, nec Corpus Christi illò triduo in Inferno, nec animam Christi in sepulchro fuisse, proinde neutrum Vbique fuisse.*

RVFFINVS An.Chr.
in Symbolum Apostolicum. 390.

AScendit Christus ad cælos, non, Vbi Verbum Deus antè non fuerat, quippe qui erat semper in cælis, & manebat in Patre; sed Vbi Verbum caro factum antè non sederat.

H NOTA,

NOTA. *Frustra laborare aliquos Vbiquistas dicentes, Ruffinum posse intelligi de sessione ad dexteram, quæ tunc primùm inceperit, postquam in cælos Christus ascendit; occultâ verò & latente Omnipræsentiâ carnem Christi etiam ante Ascensionem in cælis fuisse. Sed hoc figmentum esse, ex ipsa discordia Vbiquistarum de hac* sessione ad dexteram *planissimum sit, vt ostendi in Manuali Lutheranorum, parte 2. cap. 9. fol. 399. & seqq. vbi inter se acerrimè decertant, quo tempore Christus sedere ad dexteram cœperit. VVirtenbergici enim contendunt Christum etiam in statu humiliationis, secundùm humanitatem à primo puncto conceptionis iam sedisse ad dexteram Patris, quamuis latenter, negant id Saxonici & Hassiaci.*

Deinde licèt per dexteram Patris in isto art. Symbol. intelligeretur Omnipotentia & Omnipræsentia Dei, (quod non concedimus) minimè tamen inde consequeretur, Christum secundùm carnem esse Vbique, sicuti non sequitur: Caput hominis toti animæ rationali vnitum est; quandoquidem anima indiuisibilis est, & non potest in capite esse tantùm ex dimidio, aut parte sui, non enim habet partes. Sed anima rationalis est etiam in toto corpore. Ergo quoq; caput est in toto corpore. Diceres capite carere illum, qui sic ratiocinaretur. Etsi enim anima tota capiti vnita sit, non tamen est vnita totaliter.

GAY-

GAVDENTIVS BRIXIENSIS. An.Chr. 390.

Tract.6. de Exod. In Biblioth. PP. Tom.4. f.810. Colon. anno 1618.

NOcte, qua corpus EXANIME RELINQVENS in Cruce Dei Filius, transiit CVM ANIMA ad Ægyptum inferiorem, vt animas in inferno positas visitaret.

NOTA. *Si anima Christi iam antè in inferno fuit, quæ necessitas erat, vt Dei Filius (qui haud dubiè etiam antea in inferno fuit) cum anima de nouo ad infernum descenderet? Annon potuit hoc officio visitationis, cum anima Christi iam ibi præsente, sine descensu isto defungi? Quomodo etiam anima in Cruce suum Corpus* reliquit exanime, *si anima nihilominus adhuc in Cruce remansit in corpore? Remansisse autem illam est necesse, secundùm Vbiquistas, si fuit Vbique.*

S. AVGVSTINVS An.Chr. 400.

In Epistola 57. ad Dardanum. In Tomo 2. Basileæ apud Ioannem Frobenium anno M. D. XXVIII. impresso, & emendato per Des. Erasmum Roterodamum in Epistola LVII. ad Dardanum, solutione primæ quæstionis folio 175. lit. A. & 2. Tomo edit. Paris. anno 1571. apud Guil. Merlinum, &c. f.96.b. col.1.

SI ergo secundùm hominem, quem Verbum Deus suscepit, putamus dictum esse: hodie

mecum eris in paradiso, non ex his verbis, in cælo existimandus est esse paradisus. Neque enim ipso die in cælo futurus erat homo Christus Iesus, sed in inferno secundùm animam; in sepulchro autem secundùm carnem. Et dē carne quidem, quòd eo die in sepulchro sit posita, manifestissimum est Euangelium; quòd verò illa anima in infernum descenderit, Apostolica doctrina prædicat, quandoquidem beatus Petrus ad hanc rem testimonium de Psalmis adhibet, vbi de ipso prædictum esse demonstrat: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis Sanctum tuum videre corruptionem: illud de anima dictum est, quia non ibi est derelicta, vnde tam citò remeauit, illud de corpore, quod in sepulchro corrumpi celeri resurrectione non potuit. Et paulò pòst.

Idem S. Augustinus eodem Tomo Basil. & Epistola, eodémque folio 175. lit. B.

Est autem sensus multò expeditior, & ab his omnibus ambiguitatibus liber, si non secundùm id, quod homo erat, sed secundùm id, quod Deus erat, dixisse accipiatur: Hodie mecum eris in paradiso. Homo quippe Christus illo die secundùm carnem in sepulchro, secundùm animam in inferno futurus erat, Deus verò idē ipse Christus vbiq; semper est.

Idem S. August. dicto loco, fol. 176. lit. C.

Secun-

Secundùm hominem namque in terra erat, non in cælo, vbi nunc eſt, quando dicebat: Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit, Filius hominis, qui eſt in cælo: quamuis ſecundùm id, quod Filius Dei erat, eſſet in cælo, ſecundùm id verò, quod Filius hominis erat, adhuc eſſet in terra, nondúmque aſcendit in cælum. Similiter cùm ſecundùm id, quod Filius Dei eſt, ſit Dominus gloriæ, ſecundùm id autem, quod eſt Filius hominis, crucifixus ſit, ait tamen Apoſtolus: Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Ac per hoc & Filius hominis, ſecundùm Deum, erat in cælo; & Filius Dei, ſecundùm hominẽ, crucifigebatur in terra. Sicut ergo potuit rectè dici, Dominus gloriæ crucifixus, cùm ad ſolam carnem illa paſſio pertineret, ita rectè dici potuit, hodie mecum eris in paradiſo: cùm iuxta humanam humilitatem, per carnem in ſepulchro, per animam in inferno, illo die futurus eſſet: iuxta diuinam verò immutabilitatem nunquam de paradiſo, quia vbique eſt ſemper, receſſiſſet. Noli itaque dubitare, ibi nunc eſſe hominem Chriſtum Ieſum, vnde venturus eſt, memoritérque recole, & fideliter tene Chriſtianam confeſſionem, quoniam reſurrexit à mortuis, aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris, nec aliunde quàm inde venturus eſt, ad viuos

mortuósque iudicandos. Et sic venturus est illa Angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cælum, id est, in eâdem carnis formâ atque substantiâ, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit, secundùm hanc formam non est putandus VBIQVE DIFFVSVS. Cauendum est enim, ne ita Diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique, vt Deus; Nam & de nobis veracissima Scriptura dicit, quòd in illo viuimus, mouemur, & sumus, nec tamen sicut ille, vbique sumus; sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrumque est vnus Christus Iesus, vbique per id, quod Deus est, in cælo autem per id, quod homo. (nempe post Ascensionem.)

Idem S. August. Tractat. 31. in Ioannem.

Homo (Christus) secundùm Corpus in loco est, & de loco migrat, & cùm ad alium locum venerit, in eo loco, vnde venit (NB.) NON EST. Deus autem implet omnia, & Vbique totus est, non secundùm spatia tenetur locis: Erat tamen Christus secundùm visibilem carnem in terra, secundùm INVISIBILEM MAIESTATEM in cælo & in terra.

NB. Per inuisibilem maiestatem intelligit

Tra-

Tractatu 50. in Ioannem, ait: Corpus suum intulit cælo, Maiestatem suam non abstulit mundo. *Item ibid.* Potest & sic intelligi, pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis; accipiant & hoc boni, sed non sint soliciti. Loquebatur enim de præsentia corporis sui: nam secundùm maiestatem suam, secundùm prouidentiam, secundùm ineffabilem & inuisibilem gratiam impletur, quod ab eo dictum est: Ecce! ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi. Secundùm carnem verò, quam Verbum assumpsit, secundùm id, quod de Virgine natus est, secundùm id, quod à Iudæis comprehensus est, quod ligno confixus, quod in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me vobiscum. Quare? Quoniam conuersatus est secundùm corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, & eis deducentibus videndo, non sequendo, Ascendit in cælum, & NON EST HIC. Vbi enim sedet ad dexteram Patris, & HIC est. Non enim recessit præsentia maiestatis. Aliter. Secundùm præsentiam maiestatis semper habemus Christum: secundùm præsentiam carnis rectè dictum est Discipulis, me autem non semper habebitis. Habuit enim illum Ecclesia secundùm præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt.

Diuinitatem, sicut & alij Patres; & ipse alibi, non autem Vbiquisticam Maiestatē, seu Omnipræsentiam, vt Vbiquistæ confingunt.

Et Tractat.78.in Ioan. Sed à quibus homo abscedebat, Deus non recedebat, & idem ipse Christus Homo & Deus. Ergo & ibat per id, quod homo erat, manebat per id, quod Deus erat. Erat per id, quod vno loco erat, manebat per id, quod Vbique erat.

Eod. Tract. 78. Quis non derelictus est in inferno? Christus IESVS, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo iacuit in sepulchro? Christus IESVS, sed in carne sola.

Et Epist. 57. ad Dardanum. Vna persona Deus & homo est, & vtrumque vnus Christus IESVS, vbique per id, quod Deus est; in cælo autem per id, quod homo.

NOTA. *His locis S. Augustinum tam apertè & validè Vbiquistis aduersari, vt mirum planè sit, quomodo audeant adhuc hiscere Vbiquistæ, & contra stimulum calcitrare.*

Nam I. Rotundissimè dicit, Christum fuisse in inferno secundùm animam, & in sepulchro secundùm carnem, adeóque loco separatam fuisse reipsa animam à corpore. Neutra igitur pars fuit cum altera coniuncta: ergo nec Vbique.

II. Absolutissimè dicit, Ipso die *(Sabbati sancti, & Parasceues, postquam Christus expirauit) Christum non fuisse in cælo, vt hominem: Fuisset autem etiam in cælo, vt homo, si fuisset Vbique vt homo, siue visibiliter, siue inuisibiliter.*

III. Vt absque vlla distinctione dicit, Animam

mam non relictam esse in sepulchro, sed ad inferos abiisse; ita absq; vlla distinctione dicit, Corpus remansisse, & relictum esse in sepulchro, & non abiisse ad inferos. Igitur non habet vllam speciem probabilitatis, S. Augustinum sensisse, quòd nihilominùs per Vbiquitatem anima fuerit in sepulchro, & corpus in inferno.

IV. Augustinus omnem rimam euadendi occludit Vbiquistis per argumentum desumptum ex eo, quòd nos in Deo viuimus & sumus, *& tamen non, vbicunq; Deus est, nos sumus. Ac S. Doctorem loqui de statu Christi, in quo nunc est post Ascensionem, & Sessionem ad dexteram, adeóque etiam de statu* Exaltationis, *perspicuè colligitur ex antecedentibus & consequentibus.* Etsi enim Christus (*quem immediatè priùs dixerat* ascendisse in cælum, & sedere ad dexteram Patris) corpori suo, *inquit*, dedit immortalitatem; non tamen naturam abstulit. Nam secundùm hanc formam, (carnis videlicet) non est putandus VBIQVE DIFFVSVS. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit Vbique, vt Deus, &c. *Vbi manifestum, eum de Christo loqui in omni statu. De hac diffusione impropriè dicta, quæ Deo tribuitur, vide Ioan. Busæi Apologeticũ, Disp. de persona Christi, c. 7. Thesi 87. mendacio 133. Et falsum est S. Augustinum negare*

tantùm diffusionem crassam, palpabilem & visibilem ac quantitatiuam, vt interpretantur Vbiquistæ, non autem inuisibilem.

V. Nec fauet Augustinus Vbiquistis per illa verba, (Erat tamen Christus secundùm visibilem carnem in terra, secundùm inuisibilem maiestatem in cælo & in terra) *quæ Vbiquistæ malè torquent, quasi per* inuisibilem maiestatem *intellexerit humanam naturam*, maiestaticâ præsentiâ *affectam, qualem habeat ad Patris dexteram. Hoc enim falsissimum esse patet ex Tractatu 50. in Ioannem, vbi eodem modo loquitur, dicens:* Secundùm maiestatem suam, secundùm prouidentiam, secundùm ineffabilem & inuisibilem gratiam impletur, quod ab eo dictum est: Ecce! ego vobiscum sum, *&c.* secundùm carnem verò, quam Verbum assumpsit, secundùm id, quod de Virgine natus est, secundùm id, quod à Iudæis prehensus est, quod ligno confixus, quod de cruce depositus, quod linteis inuolutus, quod in sepulchro conditus, quod in resurrectione manifestatus, non semper habebitis vobiscum. Quare? Quoniam conuersatus est secundùm corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis, & eis deducentibus, videndo, consequendo, ascendit in cælum, & NON EST HIC Ibi enim sedet ad dexteram Patris; & HIC EST, non enim recessit, præsentiâ maiestatis,

Quis

Quis non videt, S. Augustinum per præsentiam maiestatis *intelligere præsentiam* Diuinitatis? *Negari enim non potest, carnem Christi, quæ sedet ad dexteram Patris, eandem esse carnem, quam Verbum assumpsit, quæ ex Virgine nata, quæ à Iudæis comprehensa, crucifixa, de Cruce deposita, & post resurrectionem Discipulis manifestata fuit: Si ergo secundùm hanc carnem, non est Vbique, etiam secundùm carnem sedentem ad dexteram Patris, non est Vbique.*

Deinde cùm expreßè dicat S. Augustinus, Christum non recessisse à terra præsentiâ maiestatis, *sicuti in Epist. ad Dardanum dixerat, Christum* secundùm diuinam immutabilitatem nunquam recessisse do Paradiso; *euidens est, eum non de vlla præsentia corporis loqui, secundùm quam reuerà ait illum à terra recessisse: è contrario præsentiâ maiestatis concedit, Christum etiam ante Ascensionem, adeóque etiam ante sessionem ad dexteram Patris, semper etiam in statu humiliationis in terra fuisse, & vsque ad finem Mundi mansurum esse: iuxta illud,* Ego vobiscum SVM, vsque ad consummationem sæculi; *quem locum passim S. Doctor de præsentia* diuinitatis *(quam alio vocabulo* præsentiam maiestatis *appellat) interpretatur. Igitur S. Augustinus per præsentiam maiestatis aliam non intellexit, quàm Diuinitatis, non autem humanitatis, in quocunq; statu.*

De

De hac præsentia maiestatis vide quoq; Ioan. Busæi Apologeticum edit. 1609. Mogunt. fol. 342. de persona Christi, cap. 7. mendacio 139.

Valde igitur absurdè Lutherani præsentiam maiestatis *ad carnem Christi referunt, & torquent, per quam SS. Patres non nisi Diuinitatem intellexerunt, vt videre quoq; est apud S. Ambrosium in Symbolum Apostolorum, cap. 11. Et lib. 2. de fide, cap. 4. Et lib. 3. de fide, cap. 7. Et lib. 5. de fide, cap. 2. & 5. Et alibi apud S. Augustinum, lib. contra Felicianum Arianum, cap. 15. & 16. in Euangel. Ioannis. Et Sermone 9. de Quadrages. c. 2. Tract. 5. & Tract. 50. Et apud Leonē M. Serm. 7. in solennitate Natiuit. Domini, & Serm. 17. de Paß. Domini Feria 5. & Serm. 18. de Paß. Domini.*

An. Chr. 400. S. IOANNES CHRYSOSTOMVS

In Oratione de quatriduano Lazaro, de verbis: Domine, si fuisses hic. Apud Petauium, Tomo 4. Theologiæ, lib. 10. f. 43.

INfirma es, ô mulier, (*Martha*) Nescit modò mulier, Christum etiam corpore minimè præsentem, Diuinitatis adesse potentiâ: sed præsentiâ corporis vim præceptoris metitur.

Et Tomo 7. pag. 660. in Sermone de Inuentione S. Crucis, qui Gregorij Thaumaturgi nomine inscriptus est, Christum loquentem sic inducit: Oportet eò me carne ascendere, vbi sum Diuinitate.

NOTA.

Nota. *Est manifestum à S. Chrysostomo Marthæ quasi errorem aut inconsiderantiam tribui, quòd omnem vim sanandi ægrum Lazarum in præsentia corporis posuerit, & non cogitauerit, Christum esse corpore absentem, esse tamen Diuinitate præsentem, qua possit illum sanare.*

S. EPHREM, Episc. Antiochenus An. Chr.
Contra Monophysitas, apud Photium Cod. 229. pag. 417. citat Petauius loco cit. pag. 44. 400.

IDem est (*inquit*) circumscriptus & incircumscriptus, vtpote duas habens vnus generationes, ac naturas duas.

Et postea. Deum & hominem confiteor Christum Filium Dei, vnum verò Filium, duabus naturis præditum, patibili & impatibili: mortali & immortali: intelligibili & inuisibili: attrectabili, & tactum fugiente: initio carente, & initium habente: incircumscripta, & circumscripta.

Nota. *Vt natura humana, quocunque in statu cæteras retinet affectiones, vt quòd visibilis sit, & ab initio aliquo esse cœperit, nec sit ab æterno; ita etiam est incircumscripta loco, nec Vbique, sicuti est Diuinitas; & hæc fuit firmissima SS. Patrum sententia.*

PHILO CARPATHIVS An. Chr.
In Cantica. Biblioth. PP. T. 4. f. 595. B. 420. alij 380.

Fuge

F*Vge mi Frater.*) Fuge mi frater, fuge de hoc mundo ad Patrem illum æternum, quem nunquam deseris: Abscede præsentiâ absumpti corporis, non spiritûs ac gratiæ, quâ semper es cum sponsa. Ipse enim dixit: Non relinquam vos orphanos, sed vado, & venio ad vos. Vado corpore, venio spiritu, qui à me semper, Patréque procedit.

NOTA. *Præsentia spiritus ac gratiæ, qua sponsus semper est cum sponsa, non est Humanitas Christi, sed Spiritus S. qui à Filio semper, Patréque procedit. Qui locus est etiam contra quosdam Græcos, negantes Spiritum S. à Patre & Filio procedere.*

An.Chr. 430. CYRILLVS ALEXANDRINVS

In Editione Basileensi, apud Ioannem Heruagium anno M. D. XLVI. in Euangelium Ioannis, libro 8. cap. 9. in fine, fol. 399.

DEnique cùm de se dixit: Me autem non semper habebitis; loquebatur Dominus de præsentia corporis sui. Nam secundùm maiestatem suam, secundùm prouidentiam, secundùm ineffabilem & inuisibilem DIVINITATIS gratiam impletur, quod ab eo dictum est: Ecce! ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, &c.

Idem lib. 9. in Ioannis Euangelium, cap. 22, in fine, fol. 441, in fine, in prædicta editione.

Qui-

Quibuscum etsi non corpore, virtute tamen Deitatis vnà semper & fuit & futurus est.

Eodem libro 9. dicta editione, fol. 441. lit. A. Obseruandum autem est, quia quamuis secundùm carnem solummodò abiturus erat, (adest enim semper virtute Deitatis, vt diximus) modico tamen tempore cum discipulis se futurum dicebat. *Et lib. 6. in Ioann. cap. 14.* Etsi corporis præsentiam hinc abduxerit, maiestate tamen Diuinitatis semper adest.

Idem de recta in Deum fide ad Reginas: Quòd Christus sit Deus, *ex c. 14. Ioan. ait:* Ad Patrem se abire denuntiat, cùm tamen natura Filius, solúsque omnia impleat. Abscedit itaque secundùm humanam naturam. At verò licèt, vt homo, in cælum assumptus sit, vt Deus tamen supplicum vota se auditurum promittit.

Idem Cyrill. Alex. lib. 11. in Ioannem, cap. 21. Putabant Discipuli absentiam Christi, vt hominis, vt hominis dico (Deus enim vbique adest) multorum eis incommodorum causam futuram, cùm nō adesset, qui ab omnibus eos possit malis eruere. Sed oportebat (dicam enim etiam) si luminaria orbis postea facti sunt, non solùm in carnem Christi, verùm etiam in Deitatem respicere; quæ quamuis oculis non cernatur, adest tamen semper summa cum potestate. *Plura his similia citat Dionys.*

nyss. Petauius Tomo 4. Theol. lib. 10. c. 7. ex variis Cyrilli libris, quibus humana natura circumscriptionem absolutè, & in quolibet statu, adeóque etiam gloria demonstrat, istúmque Doctorem ab omni hæresi Apollinaris liberum fuisse probat.

NOTA. *Hic S. Pater seipsum declarat, quid intelligat per Maiestatem; nempe 1. non Humanitatem, sed ineffabilem, & inuisibilem Diuinitatis gratiam, ac prouidentiam: & hanc ait Ecclesiæ non corpore, sed Deitate semper adfuturam. 2. Ait, absolutè Christum secundùm humanam naturam abscedere ad Patrem: nihil dicit de illocali & inuisibili præsentia Humanitatis remanente. 3. Distinctissimè dicit, Christum, vt hominem, esse absolutè absentem, vt Deum verò esse Vbique; & ne cogitauit quidem, Christum, vt hominem, esse inuisibiliter Vbique: alioqui si inuisibiliter esse præsentem indicasset, non simpliciter dixisset absentem.*

An. Chr. 431.

CONCILIVM EPHESINVM
Patrum plus ducentorum.

Inter Canones cap. 13.

DIuersæ quidem naturæ in vnum conuenerunt, vnus tamen ex ambabus Christus & Filius, non euacuata, vel sublata diuersitate naturarum per coniunctionem, sed quia simul

mul nobis effecerunt vnum Deum, & Christum, & Filium, &c.

Nota. *Si naturæ non sunt mutatæ, nec sublata diuersitas illarum, nullo modo potest dici, per hanc vnionem personalem naturam humanam verè & realiter factam esse inuisibilem, incircumscriptam, omnipræsentem, omnipotentem, omniscium, &c. quia hæc esset nimis magna mutatio; si intrinsecè, in se, realiter, &* formaliter *inuisibilis, incircumscripta, omnipræsens, &c. facta esset. Dico* formaliter, *contra præfationem Libri Concordiæ, vbi negatur, Humanitatem Christi* formaliter *&* subiectiuè *esse omnipræsentem. Est enim impossibile, vt aliquid verè & realiter sit in aliquo, illúdque verè & realiter denominet, & illi non etiam insit* formaliter, *effectúmque formalem illi tribuat.* Cùm igitur omnipræsentia (*vt inquit Melchior Nicolai in Symbolo Lutherano Vindicato, fol. 108.*) non nudam negationem, non respectum nudum, sed positiuum quiddam, veram nimirum & realem in & cum rebus creatis existentiam denotet, *non potest Humanitas illa non habere in se* formaliter *illum existentiæ modum ad omne ens.* Modus enim rei aut nihil est, aut in modificato est, *ait idem Melchior Nicolai ibid. folio 123.*

An. Chr. 440.

ARNOBIVS ROM. Iunior.

In conflictu de Deo trino & vno, libr. 2. Bibl. PP. t. 5. p. 3. pag. 216. B. Colon. 1618.

HAbuit etiam, vnde inter animas defunctorum, animam corporis sui defuncti ire ad inferos permitteret, & redire.

Nota. *Quomodo anima potuit* ire *ad inferos*, & redire, *si fuit iam antè Vbique, & in sepulchro mansit abeundo, & in inferno mansit, ad sepulchrum redeundo, & ab vtroq; loco nunquam abfuit? nunquam discessit?*

An. Chr. 440.

PETRVS CHRYSOLOGVS

Serm. 77. Paris. in 8. 1574. apud Hieronymum de Marmet, &c.

SVrrexit, non est hîc.) Secundùm id, quod in loco extitit; hîc autem (*subintellige* est) per hoc, quod Vbique est, & loci capacitate non clauditur; (*quod est Diuinitas.*)

Et Serm. 63. Quoniam non eram ibi.) Et erat locus, vbi non erat Christus? Et cùm non erat ibi, vnde mortuum Lazarum Discipulis nuntiabat? Fratres. Erat ibi Christus Deus, sed ibi non erat Homo Christus.

Nota I. *Extitit autem in sepulchro etiam secundùm illocalem & indiuisibilem præsentiam iuxta Vbiquistas. Ergo etiam secundùm illam surrexit, & non erat HIC?*

Nota II. *Etiam hic auctor simpliciter dicit*

dicit Christum, quà homo erat, non fuisse apud Lazarum. Hoc autem falsum fuisset, si ibi fuisset illocaliter & inuisibiliter.

EVCHERIVS LVGDVNENSIS An.Chr.
in die Inuent. S. Crucis. 445.
Alij adscribunt Eusebio Galicano.

DEscendit Christus de cælo non locum mutando, sed se humiliando, & carnem suscipiendo: ascendit verò quantùm quidem ad humanitatem, locum etiam mutando.

In die Pentecostes. Ad Patrem vado, sed vos non relinquo.) Maior est Diuinitas, quæ nobis remanet, quàm Humanitas, quæ cælos ascendit, &c. Vadit igitur Christus ad Patrem per Humanitatem, qui Vbique est per Diuinitatem.

Dominica 5. post Pascha. Mundum reliquit, & ad Patrem vadit, non secundùm Diuinitatem quâ Vbique est, sed secundùm Humanitatem, quâ LOCALIS est.

Idem Eucherius in Biblioth. PP. Colon. anno 1618. Tom. 5. p. 1. f. 743. G. lib. Formularum Spiritualium. c. 1. n. 35. Christus secundùm corpus sepultus est, secundùm animam verò ad infera descendit *Et n. 36. ibidem.* Ascendere dicitur Deus, cùm Filius carnem ex nobis assumptam in cælum veluti captiuam duxit captiuitatem, quia natura humani generis, quæ

diabolo in mundo captiua detinebatur, assumens in cælum, VBI NVNQVAM antè fuerat, tanquam captiuam deportauit.

NOTA I. *S. Eucherius dicit naturam humanam ante ascensionem NVNQVAM in cælo fuisse. Quid clarius? Non potuisset autem hoc dicere, si inuisibiliter ibi fuisset.*

NOTA II. *Expressè dicit, Christum Vbique esse per Diuinitatem, non dicit per inuisibilem ibi esse Humanitatem: quod tamen debuisset dicere, si illocaliter esset Vbique.*

An. Chr. 450.

LEO MAGNVS

In Serm. de Resurrectione Domini.

RESurrectio Saluatoris nec animam in inferno, nec carnem diu morari passa est in sepulchro.

Idem Epist. 10 ad Flauianum. Tenet sine defectu proprietatem natura.

Item. Inuisibilis in suis, visibilis factus est in nostris, incomprehensibilis voluit comprehendi.

Sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit.

NOTA I. *Euidenter insinuat, corpus & animam fuisse à se inuicem verè, & re ipsa in triduo illo separata. Neutrum igitur fuit Vbique.*

Nec

Nec habet locum distinctio de inuisibilitate, vt suprà dictum.

NOTA II. *Quomodo caro naturam nostri generis non reliquit, si cum Diuinitate Vbique fuit? Hæc enim non est natura nostra carnis.*

CONCILIVM CHALCEDONENSE 630. Patrum.

An. Chr. 450.

SEquentes igitur SS. Patres vnum eundémque confiteri Filium, Dominum nostrum IESVM Christum, constanter omnes docemus, eundem perfectum in Deitate, eundem perfectum in Humanitate, Deum verum, & hominem verum, eundem ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundùm Diuinitatem, consubstantialem nobis secundùm Humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato. Ante sæcula quidem Patre genitum secundùm Deitatem, nouissimis autem diebus eundem propter nos, & propter nostram salutem ex MARIA Virgine, DEI Genitrice secundùm Humanitatem, vnum eundem Christum Filium, Dominum vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter agnoscendum; nusquam sublatâ differentiâ naturarum, propter vnitionem, magis salua proprietate vtriusque naturæ in vnam personam atque subsistentiam concurrentis.

Non in duas personas partitum atque diuisum, sed vnum eundémque Filium Vnigenitum, Deum Verbum, Dominum Iesum Christum, sicut antè Prophetæ de eo, & ipse nos IESVS Christus erudiuit, & Patrum nobis Symbolum tradidit. *Ita Concilium Chalcedonense.*

NOTA. *Si nullum aliud superesset vestigium antiquitatis Orthodoxæ contra Vbiquistas, istud sexcentorum triginta Patrum abundantissimè sufficeret: quo dicitur naturas coniunctas in Christo nusquam suam differentiam amisisse; Vbiquistæ dicunt Vbique amisisse, quando dicunt illam Vbique & in omnibus rebus & locis extitisse, & existere* incircumscriptè, inuisibiliter, illocaliter, *& acquisiuisse in se, realiter & verè proprietates diuinas, ita vt ab iis etiam in abstracto possit denominari, quod reuerà idem est, ac si dicerent, eam* formaliter *esse* omnipotentem, *&* omnipræsentem, *&* diuinam, *adeóque non amplius esse humanam, & creatam.*

An. Chr. 450.

THEODORETVS

In Dialogo 2. cùm Eranistes vrgeret, post Ascensionem saltem Corpus Christi in Diuinitatem abiisse; respondet.

SE ab Angelis didicisse, eo modo eum venturum ad iudicium, quo eum viderant Discipuli tendentem in cælum. Viderant autem naturam incircumscriptam: audiuerant quo-

quoque Dominum dicentem: Videbitis Filium hominis venientem in nubibus cæli. Scio verò esse circumscriptum, quod videtur ab hominibus.

Item in Dialogo 2. qui Inconfusus *inscribitur.* Corpus Dominicum, *inquit*, incorruptibile quidem resurrexit, impatibile & immortale, ac diuina maiestate glorificatum, & à cælestibus adoratur virtutibus, sed nihilominus est corpus, priorem habens circumscriptionem.

Nota. *Rectè respondet Theodoretus etiam post Ascensionem corpus Christi glorificatum, non ita mutasse naturam, vt in diuinam naturam abierit. (Cuius proprietas est, immensum & incircumscriptum esse.) Sed sicut antea fuit circumscriptum, permanserit, & tali modo in cælum ascendisse, & sic è cælo quoq; iuxta Angelorum prædictionem esse rediturum ad iudicium. Disertè sanè hic auctor etiam post Resurrectionem Corpus Christi diuinæ compos claritatis & gloriæ non Vbique esse demonstrat, sed aliquo loco circumscribi. Vide etiam hunc locum eiusdem in Conclusione huius Tractatus ad finem.*

TITVS Bostrorum Episcopus. An.Chr. 460.

in S. Lucam.

QVomodo hæc Dei ac Domini nostri promissio Latroni facta, nimirum: Hodie

mecum eris in paradiso, expleta est? Quòd Christus Dominus noster sua Diuinitate impleret omnia, & in Cruce erat secundùm carnem, & in Cælo secundùm Diuinitatem. De Cruce rursum depositus, & in inferno erat secundùm animam, & suæ nihilominus Diuinitatis virtute Latronem in paradisum inferebat.

NOTA. *Etiam hæc clarissima argumenta sunt, & manifestè ostendunt, Christum secundùm Diuinitatem, non autem secundùm humanitatem, Latronem in paradisum intulisse, adeóque secundùm humanam naturam non Vbique fuisse. Dubium tamen hîc est, vtrum iste Titus Bostrensis sit idem, qui suprà anno 364. citatur, an verò alius. Ego eundem esse puto, & in numero annorum, alterutro in loco esse erratum. Si fuerunt duo eiusdem nominis, eò melior est probatio.*

An.Chr. 480. S. VIGILIVS Tridentin. Episcop. M.
Lib. 2. contra Eutychen.

Constat Dominum nostrum IESVM Christum sextâ feriâ crucifixum, & ipsa die ad infernum descendisse, ipsa die in sepulchro iacuisse, ipsa die Latroni dixisse: Hodie mecum eris in paradiso. Caro igitur ipso die non fuit in paradiso, nec in inferno, sed exanimis iacuit in sepulchro. Anima per illud triduum in inferno, non in sepulchro, & iure tamen dice-

dicemus: Dominum Iesum Christum in sepulchro iacuisse, sed in sola carne; Dominum Iesum Christum non derelictum in inferno, sed in sola anima. Et cùm in his omnibus Christus, & in his singulis Christus sit, vnus tamen est Christus, qui sic aliud fuit in sepulchro, aliud in inferno, vt tamen ipse vnus, atque totus Vbique fuerit, cùm separatim per loca seipsum dispensauerit. Ergo dicimus, Dominum iacuisse in sepulchro, sed in sola carne, & Dominum descendisse in infernum, sed sola anima.

Idem S. Vigilius Martyr. Bibl. PP. Tom 5. parte 3. Colon. 1618. pag. 722. G. & H. lib. 4. & 5. contra Eutychen.

SI Verbi, & carnis vna natura est, quomodo cùm Verbum Vbique sit, non Vbique inueniatur & caro? namque, quando in terra fuit, non erat Vbique (*alia lectio*, Vtique) in cælo. Et nunc quia in cælo est, non est vtique in terra, & in tantum non est, vt secundùm ipsum, Christum speremus venturum de cælo, quem secundùm Verbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundùm vos, aut Verbum cum carne sua loco continetur, aut caro cum Verbo Vbique est, quando vna natura contrarium quid, & diuersum non recipit in seipsa. Diuersum est autem, & longè

dissimile circumscribi loco, & Vbique esse, & quia Verbum Vbique est, caro autem eius Vbique non est, apparet vnum eundémque Christum vtriusque esse naturæ, & esse quidem Vbique secundùm naturam Diuinitatis suæ; & loco contineri secundùm naturam humanitatis suæ.

Item Quia Verbum Vbique est, caro autem eius Vbique non est, apparet vnum eundémque Christum vtriusque esse naturæ. Hæc est fides, & confessio Catholica, quam Apostoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles nunc Vbique custodiunt.

Et lib. 1. contra Eutychen. Nec sit, *inquit*, aliquis locus Diuinitatis eius præsentiâ vacuus, sed hoc erat ire ad Patrem, & recedere à nobis, auferre de hoc mundo naturam, quam susceperat ex nobis.

NOTA I. *Istæ sententiæ Vigilij Martyris tam apertè conuincunt erroris Vbiquistas, vt vix apertiùs possint; & extremæ sit impudentiæ id negare. Nullam prorsus cogitationem habuit de Omnipræsentia Humanitatis Christi illocali & inuisibili; alioquin haud dubiè de ea mentionem fecisset. Immò his ipsis suis argumentis eam refutauit, dum diuersitatem duarum naturarum in Christo contra Eutychianos tam fortiter defendit.*

NOTA II *Eandem naturam humanam in eodem loco simul circumscriptam esse, & incircum-*

cumscriptam, visibilem esse & inuisibilem, mobilem esse & immobilem, localem esse & illocalem, hîc esse, & non hîc esse, profectò pugnant inter se manifestissimè; nec possunt salua veritate affirmari. Propterea expressè dicit Vigilius: Vna natura contrarium quid, & diuersum, non recipit in seipsa. *Et tamen secundùm Vbiquistas sic fuit Christus in vtero materno, in stabulo, in templo, in Ægypto, in cruce, nempe localiter & illocaliter, visibiliter & inuisibiliter, &c.* Quæ si absurda non sunt, quid tandem absurdum erit?

S. FVLGENTIVS — An. Chr. 500.

Lib. 3. ad Trasimundum Regem, impresso in Hagenau, impensis Kobergorum Norinbergensium, in Officina Thomæ Anshelmi, anno 1520. fol. LXIII. versa pagina in medio.

IN hoc Diuinitas Christi virtutem suæ impassibilitatis ostendit, quæ vbique semper, atque ineffabiliter præsens, & secundùm animam suam in inferno sine doloribus fuit, & secundùm carnem suam in sepulchro sine corruptione iacuit. Humanitas ergo vera Filij Dei, nec tota in sepulchro, nec tota in inferno, sed in sepulchro secundùm veram carnem Christus mortuus iacuit, & secundùm animam ab inferno ad carnem (quam in sepulchro reliquerat) redit; secundùm Diuinitatem verò suam, quæ nec loco tenetur, nec

sine

fine concluditur, totus fuit in sepulchro cum carne, totus in inferno cum anima. Ac per hoc plenus fuit Vbique Christus; quia non est Deus ab humanitate, quam susceperat, separatus, qui & in anima sua fuit, vt solutis inferni doloribus, ab inferno victrix rediret, & in carne sua fuit, vt celeri resurrectione corrumpi non posset.

Et lib. 3. ad Trasimundum Regem, cap. 34. Totus Christus secundùm solam animam ad infernum descendit: idem atque inseparabilis Christus secundùm solam carnem de sepulchro surrexit: idem atque inseparabilis Christus secundùm totum hominem, quem accepit, terram localiter deserens ad cælum ascendit.

Item. Respons. 2. ad quæst. Ferrandi: Vt secundùm carnem in sepulchro iaceret, totus Christus fecit, sed sepulturæ capax sola caro naturaliter fuit. In infernum quoque, vt secundùm animam Christus descenderet, natura vtriusque, id est, diuina ac humana, vnum fuit opus, sed solius animæ naturaliter fuit ille descensus. Sicut eodem tempore totus in cælo & in terra non cessabat Christus operari, sed solius Diuinitatis fuit, & loco non teneri, & quæ ad Vniuersitatis gubernationem pertinent, cum Patre naturaliter & æqualiter operari.

Item.

Item de Incarnatione & gratia Christi, c. 10. Christus carne ascendens in cælum, suos Diuinitate non deserit.

NOTA I. *Ergo admittit, Christum, quando in cælum ascendit, deseruisse suos humanitate, quam localiter in cælum transtulit. Ergo Humanitate non mansit Vbique in terra.*

NOTA II. *Christus est totus in his propositionibus* (Christus est Vbique) *&* (est Vbique totus) *potest significare, vel personam cum vtraq; naturâ, vel personam tantùm Filij Dei, vt vocabula concreta. Si voce* Christus, *personam tantùm Filij Dei in recto intelligas, sensu Catholico verum dixeris*, Totum Christum esse Vbique; *quia persona diuina cum Diuinitate verè est Vbique; & sic non est tantùm dimidia persona, sed tota, quia non potest ipsa diuidi. Si verò intelligas personam diuinam cum vtraq; natura, negandum est*, Christum esse Vbique Totum; *quia secundùm humanam naturam non est Vbique. Itaq; Christus* totus *Vbique esse dicitur propriè, cum additione restringentis particulæ, nempe*, ratione Diuinitatis. *Sic S. Augustinus ait :* Christum Vbiq; totum præsentem esse non dubites tanquam Deum (*seu ratione Diuinitatis*) & in aliquo loco esse propter verum corporis modum, *id est*, ratione Humanitatis.

FER-

An.Chr. 515. FERRANDVS Fulgentij discipulus.

In epist. ad Seuerum, Tom.3. Bibl. PP. col.340. edit.4. apud Dionys. Petauium.

MOuetur adhuc quæstio, *ait*: Si vna est natura Christi, aut Vbique diffusa est, aut localis; si Vbique diffusa, quare verba Symboli sic recitamus: Tertia die à mortuis resurrexit, ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Patris? Quis respondebit mihi, si Vbique diffusa est natura Christi, quomodo specialiter de ea dicitur, sedet ad dexteram Patris? Sed si localis est, certè sapientia Dei, quæ est Christus, attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, & Vbique est. Quòd recedens à discipulis suis secundùm præsentiam carnis, Ecce! ego, ait, vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi. Erubescamus ergo negare duas naturas, vt in vno Christo appareat, quæ natura sit æqualis Patri, quæ minor Patre, quæ passibilis, quæ impassibilis, quæ visibilis, quæ inuisibilis, quæ Vbique diffusa, quæ localis; dum tamen vnus sit Christus & æqualis & minor, & impassibilis, & passibilis, & inuisibilis, & visibilis, & Vbique diffusus, & localis: Totus æqualis, non totum æqualis; totus minor, non totum minor; totus inuisibilis, non totum inuisibilis; Vbique diffusus, sed non totum, &c.

NOTA.

NOTA. *Ferrei capitis sit, cui Ferrandus iste absurditatem Vbiquitatis in Humanitate Christi non excutiat. Vide ibid. copiosè hac ipsa explicantem.*

MAXENTIVS

Circa idē tempus.

Tomo 4. Bibl. Col. 475. A. in Dialog. 2.

Asserente Nestoriano : Non posse diuinam naturam in vnius personæ compositionem cum humana venire, quia non potest incircumscripta, & Vbique diffusa natura, circumscriptæ, & in paruo loco constitutæ naturæ, secundùm compositionem vniri, nisi fortè, aut Diuinitatis contractionem, aut carnis extensionem factam impiè fateris. *Refellit hæc Maxentius exemplo animæ rationalis, quæ cum corpore coniungitur.*

Apud Petauium loco citato.

SI ergo, *inquit*, anima, quæ non est corpus, sed spiritus, carni secundùm compositionem vnita, nullam contractionem in minore, nullam extensionem in maiore patitur membro, sed sine sui confusione tota in maiore, tota esse creditur in minore; quo pacto Diuinitas Dei Verbi, secundùm compositionem, propriæ carni vnita, contractionem, aut extensionem, siue confusionem sustinuisse credenda est? Exemplo enim animæ ad carnem factæ vnitionis, quam secundùm compositionem fieri non negasti, omnes Doctores

Nota testimonium huius Patris, Omnes

Ec-

Doctores Ecclesiæ & Illustres Viri nobiscum sentiæ.

Ecclesiæ, & Illustres Viri, Dei Verbi ad propriam carnem factam docere, monstrantur.

Nota. *Exemplo animæ in corpore, quæ nec extenditur in maiore parte, nec contrahitur in minore, ait, Omnes Doctores, vnionem Diuinitatis incircumscriptæ cum Humanitate circumscripta, declarasse aliquo modo. Et reverà nullum Vbiquistam vnquam audiui ad hoc solidè respondentem: quia pulchrè explicatur, naturam diuinam suo modo latiùs extendi, quàm humanam, & existere, vbi humana non existit.*

An. Chr. 540.

PRIMASIVS

Ad cap. 4. ad Ephes.

SVb terra est, qui descendit cum anima in infernum, ipse cum anima & corpore ascendit ad cælos, vt impleret omnia, quæ scripta sunt.

Nota. *Huius loci Apostolici*, vt impleret omnia, *sensus non est secundùm Primasium de impletione Vbiquistica locorum omnium, & omnipræsentiâ; sed de impletione S. Scripturæ, quæ dicit Christum in cælos ascensurum, vt ipsa verba* (quæ scripta sunt) *declarant: quasi dicat Primasius, ascendit ad cælos, vt adimpleret omnia, quæ de illo per Scripturas sunt prædicta; iuxta illud Lucæ vlt.* Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege & Prophetis & Psalmis de me.

AN-

ANDREAS CRETENSIS An.Chr. 550.

quem aliqui Hierosolymitanum vocant apud Petauium, fol. 45. lib. 10. Theol. c. 8.

Oratione, de quatriduano Lazaro de Christi voce agens; Non eram ibi; *ita differit:* Quippe secundùm id, quod extrinsecus apparebat, non aderat: Corpus enim, quod trifariam dimetimur, naturâ hoc habet, vt circumscribatur, & de loco in locum motionem capiat; Huiusmodi enim illius est natura.

Nota. *Nihil clarius contra Vbiquistas.*

VENANTIVS FORTVNATVS An.Chr. 570.

In operibus veterum Poëtarum Ecclesiasticorum Basil. in Offic. Froben. 1564. Col. 699. Alij adscribunt Lactantio in carmine de Basilica. Antuerp. 1570. pag. 559.

Hymno de Resurrectione Christi, circa finem;

Hinc tumulum repetens post Tartara carne resumpta,
Belliger ad cælos ampla trophæa refert.

Nota I. *Etiam hic auctor refutat Vbiquistas, & alios hæreticos negantes Christum ad inferos descendisse, vt sanctos Patres ex illo carcere liberaret.*

Nota II. *Quomodo tumulum anima ex inferno repetere potuit, si semper in tumulo fuit, & permansit?*

An. Chr. 590.

S. GREGORIVS M.

Homil. 8. in Ezechielem.

IS, qui Diuinitate est Vbique, carne ad cælestia ascendit.

Et Homil 9. in Euangelia. Quis est homo, qui peregrè proficiscitur, nisi Redemptor noster, qui in ea carne, quam assumpserat, abiit in cælum?

Et Homil. 29. in Euangelia. Redemptor noster cùm per Humanitatem ascenderet in cælum, per Diuinitatem & terram pariter cõtinebat, & cælum.

Homil. 30. in Euangelia. Verbum incarnatum & manet & recedit; recedit corpore, manet Diuinitate.

NOTA. *Vbi hîc verbulum de mansione Humanitatis in terris inuisibiliter, quod tamen taceri non debuisset. Deinde clarissimè dicit, per Humanitatem ascendisse in cælum, non per Diuinitatem. Quare? quia erat Vbique. Si ergo per Humanitatem etiam fuisset Vbique, etiam per hanc non potuisset ascendere in cælum.*

An. Chr. 600.

ANASTASIVS SINAITA

in ὁδηγῷ, cap. 13. pag. 230.

HVic persuasum adeò fuit, carnem Christi spatio aliquo circumscriptam esse, perinde ac creatam, & in tempore factam, vt hac ratione sit

vsus

vsus ad Acephalos refellendos, qui carnem mutatam esse in Verbum asserebant.

Idem ab Euthymio citatus in Panoplia, tit. 15. lat. p. 630. inquit: Si natura Christi sola est Diuinitas, quomodo Christus, qui Vbique secundùm naturam suæ Diuinitatis existit, discipulis suis dixit: Lazarus mortuus est, & gaudeo, quia non eram ibi? Quomodo etiam Angelus dixit de illius corpore, Surrexit, & non est hîc.

NOTA. *Quid aliud nos dicimus contra Vbiquistas? Certè duo ista loca Scripturæ sunt Sole clariora, Christum non fuisse Vbiq; inuisibiliter & illocaliter. Alioqui nec Christus tam audacter dixisset,* Gaudeo, quòd non eram ibi, *nec Angelus,* Non est hîc: *cum particula* Non *omnia post se neget; & sensum faciat; nec visibiliter, nec inuisibiliter adesse.*

ISIDORVS HISPALENSIS *de summo bono. lib. 1. cap. 26.*

An.Chr. 620.

CHristus in cælum ascendens, discessit quidem carne, sed præsens est Maiestate.

Idem de officiis Eccles. lib. 2. c. 23. Profitemur ipsum Filium hominem natum, veraciter crucifixum, & tertia die resurrexisse, & cum eâdem ipsa carne glorificatâ ascendisse in cælum, in qua & ad iudicium viuorum & mortuorum expectatur venturus.

Nota. *In priore loco per Maiestatem intelligit Diuinitatem, sicut & alij Patres, non autem Omnipraesentiam Humanitatis, vt alibi demonstro. Ad alterum locum reuocentur in memoriam nota, quas suprà S. Ignatio M. adnotauimus.*

An.Chr. 640.

MAXIMVS M.

IN disput. cum Pyrrho apud Petauium loc. cit. vt duas in Christo esse voluntates probet, probat esse duas in eo naturas, & earum quoque proprietates, & indicia, ex Synodorum & Patrum sententia, nempe Visibile, & inuisibile, mortale, & immortale, corruptibile & incorruptibile: attrectabile, & contractum fugiens, creatum & increatum. *Et post aliquot paginas:* quod in Euangelio scriptum est, voluisse aliquò intrare Christum, Humanitati adscribendum esse dicit, secundùm quam ibi non erat, quò ingredi volebat: Diuinitate quippe est Vbique.

Nota. *Clarissimus textus, non indiget explicatione.*

An.Chr. 649.

MARTINVS I. Papa

Et cum illo Concilium Lateranense centum & quinque Episcoporum contra Monothelitas, Anathematismo quarto condemnationem denuntiat contra eos, qui vnum Dominum nostrum Iesum-Christum non confitentur circumscriptum corpore, incircumscriptum Deitate.

Nota.

Nota. *Dicent Vbiquistæ, se non negare Christum etiam esse circumscriptum corpore: sed tantum dicere, illum etiam esse simul* incircumscriptum *corpore & inuisibilem. Atqui in hoc ipso errant: quia duo ista non sunt simul in eodem subiecto, in eodem loco & tempore compossibilia. Si enim Humanitas Christi est Vbique inuisibiliter & illocaliter ac incircumscripta, tunc simul tali modo existit etiam ibi, vbi est localiter & circumscripta. Est igitur simul in eodem loco circumscripta, & non circumscripta; localiter & non localiter: visibiliter & non visibiliter. Quæ est contradictio.*

S. HILDEPHONSVS TOLETANVS

An.Chr. 660.

De Virginit. Mariæ, cap. 12. Bibl. PP. 707. pag. 447. C.

IPse de cælo veniens, ipse sepulchrum ingrediens, ipse sepulchrum relinquens, ipse cælos repetens, ipse ad inferna in anima humana descendens.

Nota. *Hæc omnia ex iam dictis contra Vbiquistas intelliguntur, & illorum insaniam refutant.*

D. APONIVS

An.Chr. 700.

lib. 5. super Cantica, Friburgi Brisgoiæ anno 1538. per Ioan. Frobrum Emmeum Iuliacensem, fol. 35. post medium.

ITa & vnaquæque anima non alibi requiem

poterit inuenire, nisi veram eius passibilem carnem confitendo, verámque impassibilem Diuinitatem in Cruce: aliud in sepulchro mansisse per triduum, & aliud penetrasse inferna ad liberationem iustorum.

NOTA. *Etiam hic Auctor confirmat separationem animæ Christi à corpore Christi in triduo; adeóque negat, secundùm Humanitatem illum tunc fuisse Vbique; nec potest hoc, nisi ab ipsa impudentia negari.*

An.Chr. 700.

VENERABILIS BEDA

ad Psalm. 85. Tom. 8. Basil. anno 1563. Col. 895. circa finem.

SAnctissima enim illa anima (Christi) illuc (ad inferos) descendit, vt suos inde deduceret, qui detinebantur in tenebris, & qui ibi non remansit, sed cum triumpho inde rediit, iuxta illud: non relinques animam meam in inferno. *Et ad illa verba Ioannis cap. 1.* Erat lux vera, *sic scribit:* Cuius vtramque naturam, & diuinam videlicet, qua semper Vbique totus manet; & humanam, ex qua in tempore natus, loco inclusus apparuit, consequenter Euangelista describit, dicens: in mundo erat, &c.

NOTA. *Secundùm Vbiquistas anima Christi etiam post resurrectionem in inferis remansit: Hoc disertè negat Beda; nempe non fuisse*

se

se in inferis relictam. Deinde clarissimè dicit, Christi animam ad inferos descendisse, vt inde liberaret animas antiquorum ibi detentas, ipse triumphator Orci. Denique etiam clarè asserit, humanam Christi naturam loco inclusam fuisse. An non hæc sunt contra Vbiquitarios?

S. IOANNES DAMASCENVS. An. Chr. 730.

In Editione Basileensi apud Henricum Petrum, mense Martio anno 1535 folio 116. orthodoxæ fidei, libro 4 cap. 19.

ET eorum, quæ post resurrectionem, hæc quidem Deo congruunt, vt illud baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: tanquam Dei videlicet filij. Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi: & quæ talia sunt. Nam vt Deus est nobiscum.

Idem eodem libro, cap. 24. in fine in dicta editione, folio 122.

Et festum celebramus perfectum humanæ naturæ requiem, diem, inquam, resurrectionis: in qua nos Dominus IESVS vitæ autor & saluator in re promissam iis, qui spiritualiter Deum colunt, hæreditatem introduxit. In quam ipse præcursor noster intrauit surgens à mortuis, & apertis cælestibus portis in dextera Patris corporaliter sedet: vbi, qui & spiritualem obseruant legẽ, introibunt,

Et lib. 4. cap. 2. Minoratur corporaliter & contrahitur, Diuinitate autem incircumscriptum est, non coëxtensa carne eius cum incircumscripta diuinitate. *Et rursus.* Quòd è terra in cælum ascenderit, rursúsque descensurus sit, circumscripti corporis actiones sunt.

Idem Damascenus lib. 3. cap. 3. pag. 172. apud Petauium loco cit. fol. 45. Impossibile est, vnam, eandémque duntaxat naturam esse creatam & increatam, mortalem & immortalem, circumscriptam & incircumscriptam. *Et paulò post declarat, quomodo post vnionem hypostaticam naturæ singulæ proprias affectiones seruauerint:* vt quod creatum est, manserit creatum; quod increatum, increatum; quod mortale est, manserit mortale; quod immortale, immortale: quod circumscriptum est, circumscriptum manserit: quod incircumscriptum, incircumscriptum manserit.

Et in lib. 1. cap. 18. Christum ait, qui ad dexteram Patris modò sedet, corporaliter tanquam hominem descensurum, & in throno gloriæ sessurum; Quippe corporis esse circumscripti descensionem & sedem.

Et lib. 3. cap. 7. disertè asserit, secundùm Diuinitatem incircumscriptum esse Christũ, ita vt caro illius sit coëxtensa incircumscriptæ Diuinitati illius.

Et in

Et in 4. lib. cap. 1. Ascendere in cælum de terra, & rursus descendere, actiones sunt circumscripti corporis. Porro sic illum rursus descensurum Scriptura dicit, sicut vidistis illum euntem in cælum.

Nota. I. *Etiam Damascenus indubitanter indicat, Humanitatem Christi non esse Vbiq; nobiscum, dum ait:* Nam, vt Devs est nobiscum: *quasi dicat, vt homo non est nobiscum, sed in cælum ascendit.*

Nota II. *Descendere & ascendere, ait, esse circumscripti corporis actiones: Ergo agnoscit corpus Christi, si esset Vbique & Omnipræsens, non posse ascendere & descendere, sed immobile prorsus fore. Si dicas, illud habere duplicem præsentiam; circumscriptam & incircumscriptam: secundùm illam posse moueri, non secundùm hanc; id gratis dicitur & ineptè: tum quia incircumscripta præsentia superuacua est; etiamsi enim Christus absens sit corpore ab aliquibus rebus, nihilominus potest illas regere, cùm Diuinitate sit omnibus præsens: tùm quia disertè negat Damascenus, carnem Christi esse adæquatam diuinitati Christi quoad præsentia extensionem qualemcunque, etiam illocalem & incircumscriptam.*

Nota. III. *Si sedes, & descensio est corporis circumscripti, euidens est, Christum post Ascensionem in cælum, non esse Vbique.*

Circa idē tempus.

STEPHANVS ÆDVENSIS Episcopus.

Apud Petauium loco antè cit. in libro de Sacramento Altaris, cap. 6. Tomo 6. Biblioth. P.P. folio 371.

QVi spiritus est incircumscriptus, *inquit*, sanctus Sanctorum DEVS, homo factus in vtero Virginis est circumscriptus.

NOTA. *Si circumscriptus, non fuit Vbiq; Simul enim & semel in eodem loco, secundùm eandem substantiam non potest esse circumscriptus & incircumscriptus.*

An. Chr. 750.

ALCVINVS FLACCVS ALBINVS

inter Scriptores varios de diuinis officiis. Colon. apud Geruinum Calenium, anno 1568. pag. 67.

DE *diuinis officiis cap. 24. de Ascensione Domini.* Cuius corpus ita in cælo esse credimus, vt erat, quando ascendit. Quod & vox Angelica protestatur, dicens: Sic veniet, quemadmodum, &c. id est, in eadem carnis specie, atque substantia, cui profectò carni immortalitatem donauit, naturam non abstulit.

NOTA. *Si naturam non abstulit, finitam & loco circumscriptam reliquit. Proprietas enim sequitur suam naturam.*

S. NICE-

S. NICEPHORVS An.Chr. 815.

Patriarcha Constantinopolitanus,

In opusculis quibusdam contra Iconoclastas: in quorum vno, quod de Cherubinis à Moyse factis, inscribitur, cap. 8. eruditè disputat:

CHristum absolutè & καθόλου dici nō oportere circumscriptum, vel incircumscriptum, cùm Christi appellatio duas naturas amplectatur, quarum neque diuina circumscribi potest, nec humana non esse circumscripta.

Expressè autem de Christo dicit, Ipsum fuisse circumscriptum; siquidem corpus verè, sicut nos, non fictè gestauit: Loco circumscribitur, qui est incorporeus, & cum hominibus corpore versatus, comprehensus est, qui erat incomprehensus: Incorporeus & incomprehensus secundùm naturam diuinam; Corporeus & comprehensus secundùm naturam humanam.

Idem in Epist. ad Leonem Pontif. III. apud Baron. Tomo 9. Antuerp. anno 1601 pag. 572.

Credo Christum sepulturæ traditum, corpus suum conseruasse incorruptum, nequaquam ab arcana & inenarrabili diuisum vnitione, quamuis à rationabili & intelligibili eius animâ separatum in spatio triduano. Cum quâ ipse & ad infernum descendit, & his qui in carcere erant spiritibus (sicut Princeps & diui-

diuinus dixit Petrus) veniens prædicauit resurrectionem & libertatem, & redemptionem dedit.

NOTA. *Huc faciunt iam sæpè dicta: & apertè dicit, naturam diuinam circumscribi non posse, humanam non posse esse non circumscriptam. Similiter expreßè dicit, animam Christi illo triduo fuisse separatam à corpore.*

Anno circiter 820.

OECVMENICVS

In Cōmentario ad Epistolam Pauli ad Colossenses.

IN ipso habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter: hanc vocem corporaliter, *ait significare*, ὀυσιωδῶς, *id est*, substantiuè: *& ait*: Verbum ita carni copulatum esse, vt non eâ conclusum sit, sed omnia repleat. *Et mox*. Totum, *inquit*, Verbum incarnatum est, & cum Patre Totum est, corpore circumscriptum, diuinitate verô incircumscriptum.

NOTA. *Quid clarius contra Vbiquitatem? Si enim corpore est circumscriptum, non est etiam corpore incircumscriptum.*

An. Chr. 830.

GLOSSA ORDINARIA

ad Caput 4. Epistolæ ad Ephesios, folio 94. in princ. parte 6. edition. Basileensis, anno 1508.

ET constat, quòd secundùm humanitatem Christus descendit & ascendit; ergo secundùm humanitatem descendit, quia secundùm

dùm Deitatem, quæ vbique est, nec descendit, nec ascendit. Sed secundùm animam ad inferos descendit : secundùm corpus & animam ad cælos ascendit.

NOTA. *Secundùm Glossam, nec ascendisset, nec descendisset Humanitas, si Vbique fuisset, vt Diuinitas. Ergo nec nasci, nec loco moueri vnquam potuisset contra Scripturas.*

D. HAYMO Episcop. Halberstatensis An.Chr.
In editione Basileensi ex officina Ioannis Prael anno 1536. folio 278. homilia 830.
in feria 6. Pascha.

QVòd ergo ait, adhuc modicum vobiscum sum, ad assumptam pertinet humanitatem, in qua potuit loco ad locum ire : quòd verò hîc dicit, Ecce! ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi, ad MAIESTATEM pertinet DIVINITATIS, per quam Vbique & præsens, Vbique totus, nec in tempore accedit, vel in tempore recedit, sed semper æqualiter, semper ineffabiliter manet.

Homilia Dominica 5. post Pascha, f.303. in princip.

Manens ergo cum Patre per Diuinitatem, venit in Mundum per Humanitatem ; & rediens ad Patrem per Humanitatem, mansit cum electis per Diuinitatem.

Homilia in die Sancto Pentecostes, fol.311. in fine.

Hæc

Hæc loquutus sum vobis, apud vos manens, de præsentia corporali dicit, per quam post modicum ab eis recessurus erat. Cui simile est, quod alibi ait: hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum. Qui ergo in articulo passionis hæc loquebatur, mansurus cum eis semper per Diuinitatem, recessurus loquitur per Humanitatem.

NOTA I. *Ista quomodo dici potuissent, si Christus per inuisibilem Omnipræsentiam in terris apud homines permansisset?*

NOTA II. *Etiam iste author per* Maiestatem in Christo, *intelligit* Diuinitatem, *non autem* Humanitatem: *quod obseruandum contra peruersam interpretationem Vbiquistarum, in locis S. Augustini & aliorum, quando tribuunt Christo* Maiestatem, *quâ locutione non intelligunt Patres* Maiestatem Humanitatis, *sed* Diuinitatis; *vt est in Notis ad S. Augustinum demonstratum.*

NOTA III. *Mirabile profectò esset, si isti Patres Omnipræsentiam Humanitatis inuisibilem agnouissent, quòd nemo prorsus illorum vnquam, vel verbulo illius meminerit, sed omnes Christo tantùm tribuant ratione Diuinitatis præsentiam inuisibilem & incircumscriptam Vbique: ratione humanitatis autem non nisi circumscriptam, & certo loco terminatam.*

EGI-

EGINARDVS

In vita S. Remigij. An.Chr. 840.

IDem DEVS, qui in Cruce homo factus, iacuit; sed in sepulchro secundùm solam carnem idem Deus iacuit; & in infernum secundùm solam animam descendit, & resurrexit, tertia die carne.

NOTA. *Plures ex prioribus Notis etiam hîc quadrant, & separatio vera animæ à corpore tam perspicuè asseritur, quàm Sol lucet ipso meridie.*

REMIGIVS ANTISIODORENSIS

ad Psalmum 85. An.Chr. 880.

DEscendit in infernum; sed non ibi remansit; quia suis inde liberatis, cum potestate rediit.

NOTA. *Etiam hîc locum habent, quæ de Descensu Christi ad Infernum sæpè suprà diximus.*

THEODORVS ABVCARA

Disputat. de quinq; inimicis, à quibus nos Christus Homo liberauit. Colon. 1618. pag. 9. Tom. 4. Bibl. PP. Tom. 9. p. 2. B. his verbis: An.Chr. 940.

QVintus inimicus relinquitur, idem infernus. Quia fieri non poterat, vt cum carne in inferis peregrinaretur anima à carne Domini per mortem separata, ad animas, quæ in

tene-

tenebris erant, profecta, & lumine Diuinitatis illis illato, eas quæ in eum crediderunt, in paradisum transtulit, & regiam inferni demolitus est. Sicut enim ianua & aditus peregrinationis Verbi Dei in mundum facta est sanctissima Virgo, sic mors facta est ianua, & introitus descensus Christi in infernum.

Et in Opusculo 16. Differentiam explicans, quâ Verbum in rebus omnibus existit, & in vtero Virginis fuit, ac modò in vnita sibi carne, pulchrè demonstrat, carnem Christi non Vbique esse, nec adæquari cum immensitate diuina.

NOTA I. *Si anima à corpore Christi separata est, & in infernum descendit, an tunc fuit omnipræsens? Hoc nemo credat, nisi qui delirat.*

NOTA II. *Apertè negat, carnem Christi Vbique esse, vel adæquari cum immensitate diuina. Ergo negat Vbiquitatem: Quia quod non adæquatur alteri, si alterum infinitum sit, & Vbique, non est cum altero Vbique.*

Circa illa tempora.

THEOPHANES CERAMEVS
Episcopus Tauromenitanus
apud Petauium loco cit.

Homilia 3. *disputans de Proprietatibus naturarum in Christo, & communione, ait:* Stultum est enim hoc de carne cogitare, eam simul & in cælo fuisse, & cum Nicodemo colloqu-

locutam esse, cùm natura triplicem habeat dimensionem, & loco circumscripta sit.

NOTA. *Iste auctor in terminis contradicit Pupillistis, seu Defensoribus pupillæ Saxonicæ, in* der nochmahligen Verthädigung / *contra Collyrium Forerianum, cap. 45. vbi dicunt*: Æternum Verbum, seu Dei Filius, suam humanam naturam, ob quam vocatur & est hominis Filius, in loco, vbi quantitatiuè apud Nicodemum stabat, non propiùs apud se habuit, quàm in supremo cælo, *&c. Negat autem Theophanes Humanitatem Christi simul in terra apud Nicodemum, & in cælo fuisse præsentem.*

MOSES BARCEPHA An. Chr. 950.

De paradiso, parte 1. paulò ante finem Bibl. PP. Col. anno 1618. Tomo 10. pag. 456. G.

CVm Christi anima in Cruce esset, à corpore separata, ipsa Diuinitas simpliciter neque corpus, neque animam deseruit, sed & vnà cum corpore sepulchrum subiit, & simul cum anima inferos correxit, atque ad eas animas, quæ inibi tenebantur, concionem habuit, sic ait Petrus Apostolus in sua epistola. Itaque anima Christi eas animas, quæ in se credebant, ab inferis sustulit, subuectásque induxit cum Latronis anima in Paradisum, vnde expulsus fuerat Adamus.

NOTA. *Sole clariora sunt verba ista, contra Vbiquetarios.*

An. Chr. 1030. ADELMANNVS Episcop. Brixiensis, *discipulus Fulperti Episcopi Carnotensis, & condiscipulus Berengarij, in Epistola ad eundem Berengarium.*

QVia enim, *inquit*, ex duabus naturis diuersis, alterâ circumscriptâ, alterâ incircumscriptâ, compersonatus erat, per circumscriptam de loco ad locum transmigrabat, per incircumscriptam verò, qua illocabiliter Vbique est, totus cum eis remanebat, nec tamen Filium Dei à Filio hominis separabat. Denique & priusquàm Filius hominis actu ascenderet in cælum, cum Filio Dei ibi erat, ipso attestante, vbi ait: Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo. Si ergo ibi erat per vnitatem personæ, quò nondum ascenderat per proprietatem naturæ, propter eandem vnitatem cælum ascendens, cum hominibus in terra remanebat.

NOTA. *Quando dicit*, Cum Filio DEI ibi erat, *seipsum postea explicat, nempe* ratione personæ diuinæ, non ratione personæ humanæ: *sensus est: Si ergo ibi erat in cælo per vnitatem personæ diuinæ, quò nondum ascenderat per proprietatem naturæ humanæ; propter eandem vnitatem personæ diuinæ, cælum per humanitatem ascen-*

ascendens, cum hominibus in terra remanebat per diuinitatem. Quæ prorsus repugnant Vbiquitati Lutheranæ.

GVITMVNDVS AVERSANVS An.Chr. 1060.

Bibl. P.P. To. 11. pag. 374. F. De Vnitate & Trinitate.

CORpus quidem Christi in Cruce mortuum, in lapide sepeliri permisit: anima verò viua cum Deo permanens in infernum, non vt pateretur, sed vt dominaretur, descendit: quæ liberatis inde, quos dignos iudicauerat, cæteris verò dimissis, corpus suum tertia die resumpsit.

NOTA. *Validum est hoc telum tùm contra Vbiquistas, tùm contra Caluinistas, qui negant quoque Christum ex inferno quenquam liberasse, sed merum figmentum appellant.*

EVTHYMIVS An.Chr. 1080.

ad cap. 6. Ioannis iuxta supputationem Græcorum, cap. 9.

S*I videritis Filium hominis ascendentem, vbi priùs erat*) Loquitur de futura sui in cælum assumptione. Ascendentem quoad humanitatem, vbi priùs erat quoad Diuinitatem. *Paris. in 8. apud Ægid. Gorsinum. Anno 1560.*

NOTA. *Non potuit Christus ascendere, & verè loco moueri, si in sua substantia fuit inuisibili-*

ter Vbique, vt superiùs demonstrauimus: quia aliàs in cælo priùs non fuisset solùm secundùm Diuinitatem, sed etiam secundùm Humanitatem.

An. Chr. 1106.

PETRVS ALPHONSVS

Titulo 11. in principio. Bibl. PP. Tomo 12. parte 1. pag. 397. C.

CVm Christi anima à corpore dissoluta, ad inferos, vt inde bonos eriperet, descendit, nunquam ab ea Diuinitas recessit. Vnde & cùm ad corpus remeauit, semper cum ea permansit.

Nota. *Confirmatur clarè iterum separatus descensus animæ ad inferos; & ibidem SS. Patrum liberatio. Ex quo etiam euidens est, posse esse duo indiuisibiliter coniuncta, ita vt vnum illorum sit Vbique, sicut Diuinitas; & alterum non sit Vbique, sicut anima & corpus Christi; licet fuerint vnita Diuinitati.*

An. Chr. 1120.

MICHAEL GLYCAS

parte 3. Annalium Basil. ex offic. Episcop. in 8. anno 1572. pag. 308.

AD Orcum descendisse cùm sanctam Christi audis animam, noli obstupescere, neque dicere: fieri haudquaquam potuisse, vt eadem anima migraret ad Orcum, & paternis in manibus deponeretur. Quippe Dei manus, videlicet illa continens omnia vis & potestas, tùm

tùm in cælo est supernè, tùm in terra deorsum; neq; adeò ipsis ab Orci angulis vnquam abest; Quo fit, vt si maximè sancta Christi anima id temporis ad Orcũ sit profecta, minimè tamen à vi potestatéque illa, ceu diximus, omnia continente, abfuerit. Imò dicendum potiùs, potentiam Patris ipsum esse Christum, quemadmodum Paulus loquitur. Deponit igitur animam suam paternas in manus, vt hoc modo cunctis Iustorum animabus iter ad superna cælestiáque largiretur. Ad Orcum verò descendit, vt etiam eis, qui isthic detinerentur, prædicaret, ac religiosam illam pietatem docendo commonstraret, quam priùs ignorassent, &c.

NOTA. *Euidens est, hunc Auctorem cum reliquis Patribus, circa descensum animæ Christi separatæ à corpore, consentire; & sic fateri, eam non fuisse omnipræsentem.*

D. ALGERVS Monachus Benedictinus An. Chr. 1130.
In editione Friburgensi in Brisgoia apud Ioannem Emmeum Iuliacensem 1530. de Sacramento Eucharistiæ, lib. 2. c. 8. pag. 82.

IDeo etiam corpus & sanguis diuisim in Sacramento videntur, vt quia Christus pro nobis mortuus est, nos, qui corpore & animâ perieramus, corpus per corpus, & animam per animam redimens, corpus & animam

ſuam pro noſtra redemptione in morte diuiſa fuiſſe ſignetur, dum corpus eius in ſepulchro iacuit, anima verò ad liberandas Sanctorum animas ad inferna deſcendit.

NOTA. *Et hic ſcriptor manifeſtè docet veram ſeparationem corporis Christi ab anima; & huius ad inferos ſolitarium deſcenſum, corpore in ſepulchro iacente. Neutrum igitur fuit Vbique.*

An.Chr. 1130. S. BERNARDVS

In editione Lugdunenſi, vt habetur in fine Libri induſtria Ioannis Marſchal Bibliopola, apud Iacobum de Guindi anno 1530. die 10. menſis Februarij, folio 179. columna 2. circa finem.

SEmel illò deſcendit: non ſanguis, ſed anima; & hæc portio eorum, qui in carcere erant, vna illa viſitatio, quæ tunc facta eſt per præſentiam animæ, cùm corpus penderet exanime ſuper terram: ſanguis aridam rigauit, ſanguis infudit terram, & inebriauit eam ſanguis, quæ in terris, & quæ in cælis ſunt, pacificauit. Non autem & quæ apud inferos: niſi quòd ſemel illò, vt dixi, anima eius excurrerit.

NOTA. *Quomodo autem eò excurrere potuit, ſi iam antea ibi, & in omnibus locis fuit illocaliter? ſi non deſeruit corpus in ſepulchro?*

HVGO

HVGO de S. Victore An.Chr. 1130.

Moguntiæ, apud Ioan. Volmar, Tom. 3. anno 1617. pag. 434. de Sacramentis Fidei, lib. 2. part. 1. cap. 9.

NEmo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, &c. in terra loquebatur, & in cælo se esse testabatur. Vtrobique enim erat. In terra per Humanitatem, in cælo per Diuinitatem. Idem qui in cælo erat, in terra erat: per Humanitatem in terra, & TANTVM IN TERRA, (NB.) per Diuinitatem in cælo, & in terra, &c.

Idem Hugo ibid. cap. 11. Anima Christi ad infernum descendit, caro in sepulchro iacuit. Diuinitas cum vtroque permansit. *Et infrà.* Ergo Christus persona ad infernum descendit, sed secundùm animam solam; quia sola anima ad infernum descendit, & Christus persona in sepulchro iacuit, secundùm solam carnem, quia sola caro Christi in sepulchro iacuit.

Idem lib. 2. de Sacram. Fid. parte 1. cap. 13. Noli itaque, *inquit*, dubitare, ibi nunc esse hominem IESVM Christum, vnde venturus est (*nempe in cælo*) quò ire visus est, in forma carnis atque substantia. Cui profectò immortalitatem dedit, carnem non abstulit. Secundùm hanc formam non est putandus Vbique diffusus. Cauendum est enim, ne ita Diuinita-

tem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est consequens, vt quod in Deo est, ita sit Vbique, sicut Deus. *Quod pluribus demonstrat, & demum sic concludit.* Christum autem Dominum nostrum, vnigenitum Dei Filium, æqualem Patri, eundemque hominis Filium, quo maior est Pater, & Vbique non dubites esse totum præsentem tanquam Deum, & in eodem templo Dei esse præsentem, tanquam inhabitantem Deum; & in loco aliquo cæli, propter veri corporis modum.

NOTA. *Annon ista sunt clarissima tonitrua contra Vbiquitatem Humanitatis Christi?*

An. Chr. 1140.

PETRVS LOMBARDVS, Magister sententiarum

Libro 3. sententiarum dist. 22. In editione Coloniensi apud Ioannem Berckmannum anno 1567. pag. 285. lit. B.

HIc quæritur: Si Christus in morte alicubi erat homo, & si vbicunque est, homo sit? ad quod dicimus, quia non vbicunque erat, homo erat: nec modò vbicunque homo est: quia vbique est secundùm Deitatem, nec Vbique homo; quia non vbique homini vnitus. sed vbicunque est secundùm hominem, ibi homo est. Tempore autem mortis, & vbique erat secundùm Deum, & in sepulchro secundùm

dùm hominem, & in inferno ſecundùm hominem, ſed in inferno ſecundùm animam tantùm, & in ſepulchro ſecundùm carnem tantùm.

Pag.286.lit.E. Ex his apparet, quòd Chriſtus eodem tempore totus erat in ſepulchro, totus in inferno, TOTVS Vbique, ſicut & modo TOTVS eſt, vbicunque eſt, ſed non TOTVM, nec in inferno TOTVM erat, etſi TOTVS: ſicut Chriſtus TOTVS eſt Deus, TOTVS homo, ſed non TOTVM; quia non ſolùm eſt Deus, vel homo, ſed & Deus & homo. TOTVM enim ad naturam refertur, TOTVS autem ad hypoſtaſin: ſicut aliud & aliquid ad naturam, alius verò & aliquis ad perſonam referuntur. Vnde Ioannes Damaſcenus: TOTVS Chriſtus eſt Deus perfectus, non autem TOTVM Deus eſt: non enim ſolus Deus eſt, ſed & homo, & TOTVS homo perfectus: non autem TOTVM homo: non ſolùm enim homo, ſed & Deus: TOTVM enim naturæ eſt repræſentatiuum: TOTVS autem hypoſtaſeos: ſicut ALIVD quidem eſt naturæ, ALIVS hypoſtaſeos: ſic & huiuſmodi.

NOTA I. *Hæc Petri Lombardi dicta ſatis clara & liquida, in ſequentibus magis declarabuntur, præſertim quomodo intelligenda ſit illa propoſitio,* Chriſtus non vbicunque erat, homo erat; nec modò, vbicunque homo eſt.

NOTA II. *Etiam reliqua sunt dilucida, & Vbiquitati Humanitatis Christi è diametro contraria. Separant enim corpus ab animâ loco, & animam à corpore, adeóque neutrum concedunt esse Vbique, alioquin loco non essent separata.*

NOTA. III. *Explicat pulchrè vocabulum* TOTVS, & TOTVM.

An. Chr. 1140.

PETRVS CLVNIACENSIS

Lib. 4 epist. 1.

SI ad Apostolicum Symbolum sermo recurrat, omnis Christiana lingua Dominum IESVM Christum mortuum & sepultum, & ad inferna descendisse fatetur. Qui quoniam in carne non descenderit, triduana corporis indicat sepultura: nec quia in sola Diuinitatis natura, inuicta ratio manifestat. Prudentiâ quippe, non potentiâ percussisse superbum scribitur; quem solâ potentiâ percussisset, si damnatum Archangelum percussurus, in sola Deitate ad inferos descendisset. Oportebat autem, vt superbus mundi Princeps à natura, quam vicerat, superandus dolosæ suæ victoriæ sæpe victus amitteret iactantiam. Et sicut de eo humana natura per Christum in terris triumphauerat, ita & apud inferos humana anima triumpharet.

NOTA. *Rursus & hoc testimonium aduersatur Vbiquistis, & pulchrè probat, animam Christi*

sti solam, sine carne, ad inferos descendisse; consequenter non Vbique fuisse.

ARNOLDVS Abbas Bonæ vallis An.Ghr.
Bibl. PP. Tom. 12. par. 3. pag. 431. C. 1160.

DE *verbis Domini Tract. de Verbo 6. & 7. in principio.* Quia & pro carne & pro spiritu hominis agebatur, & totus homo totum Christum habuit sanatorem, dum & caro in medelam carnis oblata est in ligno, & ad sanctificationem animæ obtinendam spiritus ille descendit ad inferos, & ascendit ad superos, ibi confringens ferreos vectes, hîc portas aperiens æternales. Et à corpore quidem anima illa Christi per illud triduum se absentans, non ita Diuinitatem, quemadmodum carnem deseruit, sed erat Deus in ea inuisibiliter, &c.

NOTA. I. *En! iterum pulcherrimum testimonium, animam Christi non fuisse Vbique: alioquin etiam fuisset in corpore; adeóque non absens illo triduo à sepulchro, quod negat hic Author.*

NOTA. II. *Hic locus etiam aliquid luminis affert, quo sensu superiùs anno 1120. de Christo Algerus Monachus dixerit,* corpus per corpus, & animam per animam redimens. *Nihil aliud volunt dicere, nisi quemadmodum homo per corpus, & per animam peccauit, ita Christum corpore & animâ, etiam cùm separata essent, salutem nostram promouisse.*

NOTA.

NOTA. III. *Fatetur, animam illo triduo cum persona diuina mansisse vnitam; & tamen non fuisse, vbicunq; erat Diuinitas: Hæc enim erat Vbique: anima autem non fuit Vbique: quia non erat in sepulchro, sed in inferno.*

An. Chr. 1170. PETRVS RIGA

Carmine in Euangelia.

SVrrexit nunc, sed non est hîc, vt quasi dicat: non est hîc carne, sed Deitate tamen.

NOTA. *Etiam iste clarè negat carnem Christi esse Vbique. De inuisibili & illocali præsentia Humanitatis altum silentium: nec de illa cogitauit: alioqui non ita absolutè dixisset*: Non est hîc carne, sed Deitate tamen: *quia potuisset illi statim obiici; etiam carne est hic inuisibiliter, sicut est Deitate. Sed pisce magis est mutus.*

An. Chr. 1200. INNOCENTIVS III.

Tomo 1. lib. 4. Mysteriorum Euangelicæ legis ac Sacramenti Eucharistiæ, cap. 44. in Editione Coloniensi apud Maternum Cholinum 1575. folio 396. ante medium.

CVm ergo Christus secundùm naturam diuinam tribus modis existat, in omnibus per Essentiam, in solis iustis per gratiam, in homine assumpto per vnionem, voluit, vt idem ipse secundùm naturam humanam tribus

busmodis in rebus exifteret, localiter in cælo, perſonaliter in Verbo, ſacramentaliter in Altari.

NOTA. *Hic eſt quoque altum ſilentium, de quarto modo præſentiæ humanæ naturæ inuiſibili & illocali in omnibus rebus creatis, quem Vbiquiſta fingunt, præter ſacramentalem, etiam in ipſa Euchariſtia; ita vt Chriſtus illic ſit bis præſens, ſacramentaliter, & non ſacramentaliter, vt dicit nominatim Keslerus contra nouum bellum Vbiquiſticum, fol. 664. vbi ait, id docere conſenſu communi Lutheranos omnes. quod eſt planè monſtroſum. Quis autem credat taciturum fuiſſe Innocentium hunc modum, ſi eum agnouiſſet?*

CONCILIVM LATERANENSE

An. Chr. 1215.

Relatum in cap. 1. extra, de ſumma Trinitate & fide Catholica, in Editione Lugdunenſi anno 1622.

DEſcendit ad inferos, reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cælum; ſed deſcendit in anima, & reſurrexit in carne: aſcendítque pariter in vtroque.

NOTA. *Hoc Concilium de deſcenſu animæ Chriſti ad infernum loqui in eo ſenſu, quo alij Doctores Eccleſiæ tunc, & antea, & poſtea locuti ſunt communiter: quorum nullus iſtam Omnipræſentiam Humanitatis Chriſti illocalem & Lutheranam agnouit; ſed illam per ſeparatum deſcenſum animæ*

anima ad infernum omnes negarunt clarissimè.

An.Chr. 1220.

D. EDMVNDVS CANTVARIENSIS

Bibl. PP. Tom. 13. pag. 360.

IN *Speculo Ecclesiæ, cap. 13.* Vt nos redimeret ab infernali captiuitate, anima sua descendit ad inferna cum Deitate, corpore manente in sepulchro, & extraxit secum animas, quæ in terra fecerunt suam voluntatem.

NOTA. *Etiam hic est manifestus totus contrarius Vbiquitati Lutheristicæ; vt ex dictis liquet.*

An.Chr. 1220.

ALEXANDER de Ales.

3. parte summæ Theologiæ. 119. membro 5. in resolutione, in Editione Venetâ apud Franciscum. anno 1575.

SI totum dicatur idem, quod perfectum, sic Christus totus in sepulchro fuit in triduo, & Vbique, sed non totum. Totum vno modo dicitur idem, quod perfectum, & hoc modo totum non dicitur ad partem: alio modo totum dicitur ex partibus constitutum. Primo modo dicitur totus fuisse Christus in triduo, & in inferno, & in sepulchro, & non totum: quia totus pertinet ad personam, quæ quidem perfectè erat Vbique & plenè; totum verò pertinet ad naturam, quæ quidem secundùm humanam naturam nec erat Vbique,

nec

nec etiam erat perfectè in sepulchro, nec perfectè in inferno, sed secundùm partem.

Idem. Omnis substantia creata est circumscripta, & in vno loco. Substantia verò diuina, quia incircumscripta, Vbique est. Substantia verò vnita diuinæ, virtute vnionis excellit omnem aliam; sed quia in minus, quàm diuina, ideo non est possibile, vt sit Vbique. Prætereà solùm determinatur corpori Christi esse in pluribus, ratione Sacramenti, quamuis secundùm speciem difficillimum sit definire.

NOTA. *Annon expressè negat, humanam naturam fuisse in triduo VBIQVE? An non dicit, non esse possibile, vt sit Vbique? Intellige, posito quòd iuxta SS. Scripturas loco mouendus sit, sicuti Christi Humanitas loco mota fuit, & iterum mouebitur], & moueri debebit in reditu ad iudicium, &c. testante Angelo*: Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. *Quomodo etiam distinguantur* TOTVS & TOTVM, *benè & dilucidè explicat.*

S. BONAVENTVRA

An. Chr. 1220.

In 3. sententiarum dist. 22. quæst. 2. Vtrùm Christus secundùm quòd homo fuerit in loco determinato, an vbique, numero 15. in Editione Nurenburgica anno 1491.

Respondeo dicendum, quòd quæstio ista potest esse de re, & potest esse de sermone.

ne. Tunc est quæstio de re, quando quæritur, Vtrùm Humanitas Christi fuerit, vbicunque fuit Diuinitas? Ad istam quæstionem de plano respondendum est, quòd non. Quia diuina natura est immensa & infinita, vnde nullum locum sibi determinat; sed humana natura cùm sit creata, & finita, locum sibi determinat. Vnde non erat, vbicunque Diuinitas erat: sed vel in sepulchro ratione corporis, vel in inferno ratione animæ, sicut dicit Magister in littera. Similiter ratione Humanitatis, quantum est de se, in vno tantùm loco est. Quòd enim sit in pluribus, hoc est, sub Sacramento, secundùm quod dicit Innocentius: secundùm quod Christus dicitur esse alicubi sacramentaliter, alicubi personaliter, alicubi localiter. Localiter est in cælo, sacramentaliter est in altari, personaliter vbique. Et sic humana natura in Christo habet, vt sit in loco determinato, & si de re fiat quæstio, satis plana est responsio.

NOTA. *Pulcherrimè & distinctissimè docet iste author, quomodo Christi Humanitas sit præsens; nempe personaliter, localiter, & sacramentaliter. Sed de præsentia Vbiquistica Humanitatis vniuersali, illocali & inuisibili, nec vmbram habet; vt euidens sit, eum modum ab ipso non fuisse agnitum. Videat Lector hunc locum S. Bonauenturæ, in quo inueniet contra Vbiquitatem*

tatem neruosas rationes, & egregias solutiones Sophismatum, quibus nunc vtuntur defensores huius erroris.

ALBERTVS MAGNVS An.Chr.

Lib. 3. sentt. dist. 22. art. 2. ita dicit. 1220.

VIdetur, quòd hæc sit vera, Christus est homo Vbique. Quæcunque enim duo idem sunt, & vnum supposito, vbicunque est vnum illorum, ibi est alterum; Filius autem Dei & homo vnum sunt & idem supposito; Ergo vbicunque est Filius Dei, ibi est & homo. Sed Vbique est Filius Dei: Ergo & hic homo est Vbique. Dicendum; quòd non valet, quòd si aliqua sint idem in supposito, quòd quicquid conuenit vni, gratiâ naturæ, quòd hoc etiam conueniat alteri: quia natura non sunt vnum: & esse Vbique, conuenit Filio Dei gratiâ naturæ, & non personæ, nisi per consequens.

NOTA I. *Hic aduertendum, naturam humanam diuinæ naturæ non esse immediatè vnitā, sed diuinæ personæ, & mediante illa etiam diuinæ naturæ. Cùm ergo Omnipræsentia, seu immensitas sit proprietas diuinæ naturæ, non conuenit diuinæ personæ, nisi quatenus illa identificatur cum natura diuina; quod S. Bonauentura ait per consequens conuenire personæ; nullo autem modo conuenire naturæ humanæ, seu Humanitati immediatè omni-*

nipræsentiam, ex eo clarè deducitur, quòd ait, naturâ Christum non esse vnum: cùm habeat duas diuersissimas naturas; vnam incircumscriptam, nempe diuinam; & alteram circumscriptam, & ad locum determinatam, nempe humanam.

NOTA II. *Argumentum illius, Quæcunque duo vnum & idem sunt* supposito, *vbicunque vnum illorum est, ibi est & alterum, distinguitur: si simul etiam sint vnum naturâ, conceditur: si verò naturâ non sint vnum, negatur.*

An.Chr. 1230. S. THOMAS AQVINAS

In Operibus D. Thomæ impressis Venetiis an. 1593. apud Dominicum Nicolinum. lib. 3. sent. dist. 22. q. 1. art. 2. fol. 75. b.

Dicendum, quòd humana natura Christi NON EST VBIQVE, neque quando anima & corpus fuerunt diuisa, neque quando sunt coniuncta; sed persona illa ratione sui, & ratione diuinæ naturæ est Vbique. Ad veritatem autem locutionis, vt suprà dictum est, exigitur, vt prædicatum secundùm se totum conueniat subiecto. Et ideo quia homo significat *suppositum* humanæ naturæ, & ipsam humanam naturam; inde est, quòd hæc est falsa, Christus est homo Vbique: quia non conuenit sibi Vbique habere Humanitatem. Aduerbium autem Vbique determinat, esse hominem in prædicato positum, quantum ad id totum,

tum, quòd in homine importatur, & magis etiam quantum ad naturam, secundùm quod termini in prædicato positi tenentur formaliter. Sed hæc est vera. Iste homo est Vbique: quia esse Vbique conuenit personæ. Hæc autem, Christus secundùm quod homo, est Vbique, potest esse vera & falsa, secundùm quod enim potest importare conditionem naturæ (*humanæ*) sic est falsa: vel veritatem suppositi, sic est vera. *Vide plura ibidem.*

Idem lib. 4. contra gentes, cap. 49. num. 3. f. 479. eiusdem editionis Venet. Non autem Verbum Dei subsistentiam habet ex natura humana, sed magis naturam humanam ad suam subsistentiam, vel personalitatem trahit. Non enim per illâ, sed in illa subsistit: Vnde (NB.) nihil prohibet Verbum Dei esse Vbique, licèt humana natura à Verbo Dei assumpta, VBIQVE non sit.

Et Distinct. 22. lib. 3. sent. art. 2. Dicendum est, quòd personæ Verbi conuenit esse Vbique, naturæ autem assumptæ non. Quia ergo hic terminus, Homo à parte subiecti tenetur pro persona, Christus homo est Vbique, est vera propositio. Cùm autem ponitur à parte prædicati, sic, Christus est homo Vbique, est falsa, quia significatur Humanitas eius Vbique.

NOTA. *Sol in meridie non est clarior, quam*

sint hæc verba clarissimi huius Doctoris cõtra Vbiquetarios, quomodocunque se illi torqueant: quidquid obganniant & oblatrent.

An.Chr. 1235. **IOANNES DVNS Scotus**

In 3. Sent. Dist. 22.

C*Vm aliis Scholasticis dicit, De re ipsa non esse quæstionem*, cùm certum sit, carnem Christi non esse Vbique: *de modo autem loquendi tres statuunt regulas, inquit* I. Quando quæritur, an Christus homo sit Vbique, si homo sit subiectum propositionis, absolutè concedendum est, esse Vbique: quia tunc vox HOMO supponit pro supposito. Itaque ista est vera simpliciter, Christus homo est VBIQVE.

II. Si homo sit prædicatum, & aduerbium VBIQVE se teneat ex parte subiecti, similiter concedenda est propositio. Itaque cùm dico, Christus Vbique est homo, verum dico, si illud Vbique tenet se ex parte subiecti, vt sensus sit, Christus, qui est Vbique, est homo.

III. Si homo sit prædicatum, & Vbique se teneat ex parte prædicati, tunc falsa est propositio. Nam cùm dico, Christus Vbique est homo, si Vbique efficit coniunctionem subiecti cum prædicato, significat Christum in omni loco habere secum præsentem humanitatem, quod est falsum. *Ita obseruat Bellarminus lib. 3. de Incarnat, c, 19. ad finem ex Scoto.*

D. RI-

D. RICHARDVS PAMPOLITANVS An.Chr. 1290.

In enarratione Symboli Apostolici, in editione Coloniensi ex officina Melchioris Nouesiani, mense Martio anno 1536. folio 147. pagina versa, §. Thomas.

DEscendit ad inferna.) Hîc primò notandum est, secundùm quid descendit ad inferos, quia secundùm animam, tamen coniunctam Diuinitati. Nam secundùm Diuinitatem localiter non potest descendere, quia Vbique est.

NOTA. *Fatetur animam Christi locum mutasse, descendendo ad inferos, licèt habeat præsentiam inuisibilem; non tamen fuisse Vbique.*

NICEPHORVS CALLISTVS An.Chr. 1300.

Paris. anno 1562. apud Ægidium Gorbinum, lib. 1. cap. 31.

IPse iustitię sol Christus, animâ solâ per mortem, à corpore segregatâ, apud inferos iustorum animis præstò fuit, & Dux itineris, ad Paradisum ferentis præiit, lucis Princeps, viæque ductor, eis perinde atque Latroni factus. Eâdem namque die, vel potiùs eâdem horâ ab inferis rediit, vt quidem cùm alij nonnulli, tum is, cui aurea lingua nomen indidit, S. Chrysostomus. inprimis accuratiùs, certiúsque exposuêre. Nec enim rationi consonum erat, animam eius apud inferos retineri, qui nihil prorsus à

primi parentis maledictione, & exitio secum attulisset, subitò verò, &, vt ita dicam, fulgetri celeritate, dignos atque idoneos luce summè coruscantis Deitatis illustrans, ac immensâ potentiâ ex caliginosis, soléque carentibus latebris reducens: & principibus ibi tenebrarum, ducibúsque malorum, diuinæ potestatis splendore, & Angelicarum cohortium militiâ, quasi obtritis, nullo tempore & labore nullo, atque eo, qui solum DEVM decet, modo, in momento vno ad sacra immensáque luce relucentia Paradisi tabernacula traduxit.

NOTA. *Animam solam fuisse post mortem à corpore Christi segregatam, & ad inferos permeasse; satis ostendit, eam Vbique antea non fuisse: neq; hîc potest dici, eam illuc motam esse visibiliter, cùm anima sit inuisibilis.*

An. Chr. 1300. BERNOLDVS DE CÆSARIA

In summa Theologica Veritatis, Vlmæ ante centum annos, & amplius, impressa per Ioannem Zainer in folio, lib. 1. cap. 17. de incircumscriptibilitate DEI.

CORpus Christi licèt non sit Vbique, cùm sit creatura, nec æquari possit in hoc Creatori; in pluribus tamen locis est: id est, sub diuersis hostiis. *Idem lib. 4. cap. 21.* Dicendum etiam, quòd in illo triduo Christus totus fuit

in

in sepulchro, sed non totum: & totus fuit in inferno, sed non totum. Quia totus dicit personam, totum verò naturam.

NOTA. *Consentit hic scriptor cum iis, quos superiùs citaui; & non minùs refellit manifestè Vbiquisticam insaniam.*

HVGO de Prato. An. Chr. 1300.

Sermon. 58.

CHristus in vno momento propriâ virtute super omnes cælos, peruenit ad magnum cælum SS. Trinitatis, & hoc in quantum HOMO: quia in quantum DEVS, semper fuit in illo magno cælo.

NOTA. *Etiam hic locus est apertus pro Catholica veritate contra errorem Lutheranorum de Vbiquitate Humanitatis Christi, quem negat fuisse Vbique: quia cùm dicat Christum, in quantum Deus est, semper fuisse in illo magno cælo; in quantum homo est, primùm post ascensionem illuc peruenisse: eo ipso negat ante ascensionem illic fuisse.*

DVRANDVS à S. Portiano. An. Chr. 1320.

Lib. 3. Sententiarum, dist. 22. quæst. 3. in editione Antuerp. in adibus viduæ & hæredum Ionis Stelsij, anno 1567. fol. 249.

REspondeo, cùm articulus sit, Christum ad inferos descendisse, & non possit intelligi

ratione corporis, secundùm quod fuit in sepulchro, restat quòd intelligatur ratione animæ.

Idem lib. 3. Dist. 23. q. 7. Ascendere in cælum, non potuit Christo conuenire secundùm naturam diuinam, sed solùm secundùm quam NON FVIT VBIQVE, sed in certo loco continebatur, & vero motui subiici poterat: non sic autem secundùm naturam diuinam, quæ Vbique est & immutabilis.

Idem in eâdem Dist. q. 1. Hic homo est Vbique, vera est propositio, quòd Vbique esse conuenit subiecto ratione suppositi diuini, quod sufficit ad verificationem propositionis, quantumuis non conueniat subiecto ratione naturæ humanæ.

NOTA. *Etiam Durandus pugnat manifestè contra Vbiquistas: dum ait clarissimè, naturam humanam Christi non esse Vbique: seu Vbiquitatis prædicatum non conuenire subiecto ratione naturæ humanæ.*

An. Chr. 1320. NICOLAVS LYRANVS

AD *Psal. 67.* DEVS in loco sancto suo.) Hoc est, in cælo Empyreo. Licèt enim secundùm Deitatem sit Vbique per præsentiam, essentiam, & potentiam; in cælo tamen Empyreo dicitur etiam specialiter per gloriam & refulgentiam: secundùm etiam Humanita-

tem

tem est ibi, sicut in loco proprio & determinato.

Ad cap. 1. Actor. ait: Assumptus est de terra in cælum in sua Humanitate: secundùm Diuinitatem enim, quæ necessariò est Vbique, non conuenit ei de loco ad locum transire.

NOTA. *Causam, cur Deus non possit moueri, esse eius Omnipræsentiam. Si ergo Humanitas Christi esset omnipræsens, non posset moueri de loco in locum, de cælo in terram.*

LVDOLPHVS de Saxonia Carthusianus. An. Chr. 1330.

In vita Christi impressa Parisiis apud Michaëlem Sonnium in via Iacobæa, sub scuto Basiliensi, anno 1580. part. 2. cap. 71. folio 454. in princ. vel in editione Parisiensi in via diui Iacobi, sub sole aureo, per Bertholdum Rembold, anno 1509. idibus Augusti, parte 2. cap. 71. folio 237. Col. 1. in fine.

ET subdit Angelus (NON EST HIC) scilicet per præsentiam carnis & corporis, qui nusquam deest per præsentiam Diuinitatis, & Maiestatis: surrexit enim per Humanitatem, qui nullum casum patitur in Diuinitate.

NOTA I. *Etiam hunc scriptorem per præsentiam Maiestatis cum S. Augustino suprà citato & aliis Patribus, intelligere Omnipræsentiam Diuinitatis, non autem Humanitatis,*

Nota II. *Etiam indubiè ac certò tribuit motum verum localem post Resurrectionem Christo; & non tantùm apparentem, seu phantasticum; cùm dicit eum surrexisse, & ex illo loco se subduxisse; adeóque verè motum loco esse, vt iam ibi non sit. Non posset autem simpliciter negari, quòd ibi sit, si saltem inuisibiliter ibi esset. Sicut Lutherani non negant simpliciter Christi corpus in Eucharistia esse, licet ibi non sit visibiliter.*

An. Chr. 1330.

GVIDO Carmelita

De VValdensibus cap. 21.

CHristus corpore iacente in sepulchro, secundùm animam descendit ad inferos. Vnde Christus Dei sapientia increata Ecclesiastici 24. ait: Penetrabo omnes inferiores partes terræ, &c.

Nota. *Hæc ex prioribus patent.*

An. Chr. 1345.

THOMAS ab Argentina

In Comment. sentt. lib. 3. Dist. 22.

TOtus Christus est Vbique: non totum Christi.

Nota. *Et hoc ex prioribus intelligitur.*

An. Chr. 1360.

IOANNES CANTACVZENVS

Apologia 2.

DE quonam Dauid dicit, quòd altè supra cælos sit misericordia eius; & quòd exaltatus sit supra cælos, & super omnem ter-

ram

ram gloria eius? Deus Vbique est, & non est locus, vbi Deus non sit. Hoc igitur citra omnem controuersiam dicit de Homine, quem Filius & Verbum Dei assumpsit: qui antea quidem NON ERAT IN CÆLO, sed in terra: nunc verò subuectus est, & exaltatus, & consedit à dextris Dei Patris, qui quidem in cælo est, super terram verò gloria eius.

NOTA. *Absolutè dicit hic author; Christum hominem non fuisse antea (id est, ante Ascensionem) in cælo. Non fuit ergo Vbique. Quandò autem dicit subuectum & exaltatum nunc esse in cælum, &c. non negat illum circumscriptiuè, quoad Humanitatem, esse in cælo; super terram verò esse ait Vbique secundùm Diuinitatem.*

IOANNES TAVLERVS — An. Chr. 1380.

Sermone 1. in Parasceu.

CVm in Cruce mortuus fuisset Christus, sanctissima illius anima Diuinitati vnita ad limbum descendit, redimens, ac liberans inde, quotquot Patris illius fecerunt voluntatem.

NOTA. *Solus descensus animæ Christi ad inferos, est sufficiens refutatio Vbiquitatis, vt ex dictis clarissimè patescit.*

GERAR-

An.Chr. 1380. GERARDVS ZVTPHANIENSIS

Lib. 2. cap. 39.

COgita deuotè, qualiter anima Christi ad infernum descendit, quid ibi egit? de gaudio SS. Patrum, & tristitia dæmonum.

NOTA *idem, quod in prioribus sæpe notatũ.*

An.Chr. 1415. IOANNES CAPREOLVS

Lib. 3. sentt. dist. 22. art. 3.

CHristus dicitur Totus Vbique: quia nihil deest sibi de sua personalitate, secundùm quam Vbique est. Totus enim cùm sit masculini generis, ad personam pertinet: deest autem ei aliquid de his, quæ ad naturam Christi pertinent, secundùm quod est Vbique: Quia secundùm humanam naturam non est Vbique: & ideo dicitur, quòd est totus Vbique, sed non Totum Vbique; quia Totum cùm sit neutri generis, ad naturam pertinet.

NOTA. *Etiam hic non indiget explicatione, adeò clarè negat, Humanitatem Christi esse Vbique.*

An.Chr. 1415. PETRVS de Aliaco, Paris. Cancell. Præceptor Ioan. Gersonis.

In 4. sentt. q. 5. art. 2. fol. 256. D. Edition. Paris. in 8. impensis Ioannis Petit.

VErbum diuinum est alicubi, vbi non est natura assumpta: Ideo ipsum alicubi est homo, & est alicubi non homo, &c.

NOTA,

NOTA. *Annon hoc est rotundè negare sententiam Lutheranorum de Omnipræsentia Humanitatis Christi?*

IOANNES GERSON

An. Chr. 1420.

Parte 4. Sermone in festo Pascha, folio 97. lit. E. & D. Editionis Parisiensis apud Ioannem paruum, & Franciscum Regnault, anno 1521.

ET ad infernum descendit ad Patres sanctos liberandos, qui propter originale peccatum illic detinebantur, & ibi anima Domini nostri IESV Christi tamdiu fuit, quamdiu pretiosum corpus eius fuit in sepulchro. O grandis lætitia! magna solennitas fuit in ea parte inferni, cùm viderent, quem tantoperè desiderârant, & Dei visionem, quam postulauerant & expectauerant, tunc receperunt. Mirabile. Inferni pars vna paradisus fit, aduentu Domini nostri IESV Christi. Reor omnem locum illum gloriâ repletum fuisse, cùm Domini nostri IESV Christi anima ad inferos descendit, persona Domini nostri IESV Christi, quæ diuina est, & æterna, in inferno erat animæ vnita, & in sepulchro corpori iuncta, durante ita tempore ab hora mortis suæ, ad Resurrectionis suæ vsque horam, partes Humanitatis Domini nostri IESV Christi separatæ fuerunt, anima gloriosa erat: corpus verò

quamdiu

quamdiu in sepulchro iacuit, gloriosum non erat, quoad vsque anima denuo fuit vnita.

NOTA *Prius argumentum semper recurrit de anima sola Christi, in infernum descendente; corpore solo, sine anima, in sepulchro relicto, tempore illius tridui, in quo nec corpus fuit Vbique, neque anima; tametsi Diuinitas vtrique vnita manserit; & ipsa in se Vbique fuerit. Et in quamcunque partem se vertant Vbiquistæ, ex hoc labyrintho nunquam egredientur. Frustra est distinctio de inuisibili & illocali præsentia.*

An.Chr. 1430. LAVRENTIVS IVSTINIANVS

Basil. apud Frob. 1560. fol. 508. in fine.

DE *Triumphali Christi agone*, cap. 22. Istiusmodi persuasiones dum increduli audiunt, & obstinatissimo animo in sua perseuerant perfidia; inuictissimus Christianæ militiæ propugnator, relicto corpore exanimato in tumulo, ad Tartaream descendit inferni mansionem, quatenus vniuersos Patres in illa regione vmbræ mortis positos, de ergastulo tyrannicæ seruitutis eriperet.

Et infra in fine cap. folio 511. Experimento tunc cognouit Propheta, quod dixerat: Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Hoc ipse, hoc Patres percepêre, & cæteri; cùm se illis Verbum essentialiter propalauit. Nusquam TOTVM illud erat triduo; quod in tumulo cor-

corpus remansit *exanime*; anima verò vnita discessit: In ipsa vtique regione pœnarum eò vsque sustinuit, quoad vsque dispensationis suæ profluxerat tempus; in quo resumpto Humanitatis corpore prorsus immortalitate vestito, illud in perpetua æternitate proueheret.

NOTA. *Quando dicit*, Anima vnita discessit, *intellige*, anima vnita Deo, *seu persona diuina, discessit à corpore, illúdque tribus diebus reliquit in tumulo seu sepulchro. Ergo non fuit Vbique; vt iam sæpe dictum.*

CONCILIVM BASILEENSE

An. Chr. 1431.

D*Amnauit hoc Concilium Augustinum de Roma, Archiepiscopum Nazarenum, qui dixit:* Duæ naturæ in Christo æqualiter diliguntur à Deo, & æqualiter sunt diligibiles, propter vnam personam.

NOTA. *Hoc etiam Vbiquistæ dicunt; quia dicunt, naturam humanam & diuinam esse æqualis maiestatis: ergo & æqualis perfectionis, & bonitatis, &c. ergo & æqualiter diligibiles à Deo. Quod enim alteri est æquale in bonitate & perfectione, est æqualiter diligibile. Quòd autem dicant Vbiquistæ, humanam & diuinam naturam esse æqualis maiestatis, siue humana natura per sessionem ad dexteram, collatam esse æqualem, aut eandem maiestatem Deitatis, suprà audiuimus in*

prole-

prolegomenis, & sequitur ex sessione ad dexteram Patris, iuxta illorum interpretationem; vt ostendimus id sæpe in Notis ad varia loca SS. Patrum.

An. Chr. 1470.

DIONYSIVS RICHEL

In Distinct. 22. lib. 3. sent. quæst. 2.

VErumtamen apparet, quòd ista propositio, Christus seu Filius Dei, est homo Vbique, vera sit, si illud VBIQVE referatur ad subiectum; quoniam vbicunque est Christus, ibi ipse est Homo, quamuis eius Humanitas non sit ibi.

NOTA. *Ista sunt iam sæpius declarata, & per se clarissima.*

An. Chr. 1470.

DIONYSIVS CARTHVSIANVS

In parte 1. de tempore, impressa Coloniæ apud Petrum Quentell, anno 1533. mense Februario, in enarratione Euangelij in die Paschæ, fol. 119. circa finem.

NOn est hìc secundùm Humanitatem, qui secundùm suam Diuinitatem implet cælum & terram.

NOTA. *Ergo non agnoscit hic auctor, Christum etiam secundùm Humanitatem implere cælū & terram post Resurrectionem, licet anima iterū fuerit vnita corpori; alioqui de ea impletione Lectorem quoq; monuisset, nisi imperfectam doctrinam tradere voluisset: quod non est credibile.*

THOMAS

THOMAS DORNIBERG An.Chr. 1489.

Decretorum Artiumque LL. D. in Compendio Theologicæ Veritatis, Argentinæ anno 1489. lib. 4. cap. 23. de Christi Ascensu in cælum.

AScendere conuenit Christo propriè secundùm naturam humanam; quia secundùm illam solummodò mutat locum, & non secundùm naturam diuinam.

Et cap. 24. Dicimus ergo, quòd Ascensio Christi fuit tam ad locum, quàm ad dignitatem. In quantum quidem fuit ad locum, sic ascendit super omnes cælos, id est, vsque ad dignissimum locum cæli empyrei, siuè ad altissimam eius partem, & quòd nobilissimò Christi corpori congruit talis locus.

NOTA. *Iuxta istum Auctorem si humana natura fuit etiam illocaliter & inuisibiliter Vbiq;, propriè non potuit ascendere, & mutare locum, vt sæpè probatum: quia nullo modo potuit moueri de loco in locum, neq; deserere locum, & alium acquirere etiam secundùm substantiam, sine quo motus non est propriè ascensio, qualis ista fuit in Christo, quando in cælum ascendit.*

MARSILIVS DE INGVEN An.Chr. 1494.
Professor Heidelbergensis

Quæst. 13. in 3. sent. fol. 443. in fine Resp. ad 1. Ex officina Martini Flach iunioris, ciuis Argentin, anno 1501.

N Per.

Persona increata non habet partes: quamuis Christus secundùm Humanitatem habuerit partes: vnde corpus, quod erat in sepulchro, non fuit pars personæ Christi: Ergo cùm totus Christus significet personam, non sequitur, totus Christus est ibi; ergo quælibet pars personæ Christi. *Et paulò post.* Est (Christus) Vbique totus, sed non totaliter, neque totum, quia non secundùm omnem naturam.

Nota. *Cùm Christus sit Vbique secundùm naturam diuinam, non autem sit Vbique secundùm omnem naturam, & præter diuinam non habeat nisi humanam, necesse est, eum secundùm humanam naturam non esse Vbique, iuxta hunc Doctorem.*

An. Chr. 1490.

GABRIEL BIEL, Professor Tubingensis

In 3. sententiarum dist. 22. q. vnica art. 3. dubio 2. Basileæ typis M. Iacobi de Pforzen, anno 1512.

Secundò dubitatur, vtrùm concedendum, quòd ille homo, demonstrando Christum, est Vbique. Respondetur primò de re: quòd cùm in Christo sint duæ naturæ, humana & diuina, realiter distinctæ, sola diuina natura propter sui infinitatem est Vbique: sola enim natura diuina est infinita; natura autem huma-

mana in Christo, quæ pura creatura, & finita, est in loco determinato, puta in cælo, aut in Sacramento; vnde Innocentius dicit, quòd Christus est alicubi personaliter, alicubi sacramentaliter, alicubi localiter; in cælo localiter, in Altari sacramentaliter, vbique personaliter: sacramentaliter & localiter secundùm naturam humanam, vbique secundùm naturam diuinam.

NOTA. *Disertissimè refutat Gabriel Vbiquitatem Humanitatis Christi, dum dicit,* Sola natura diuina propter infinitatem suam est Vbique. *Quando ergo deinde ait, naturam humanam esse puram creaturam & finitam, adeóque esse in loco determinato, quid aliud dicit, quàm non esse in omnibus rebus inuisibiliter & illocaliter? cùm expressè deinde assignet tres illius modos existendi in rebus, nempe personaliter, sacramentaliter, & localiter: nullam autem faciat mentionem Vbiquitatis inuisibilis & illocalis ipsius Humanitatis; quam vrgent hodie Vbiquistæ.*

IOANNES ALTENSTEIG Mindelheimensis SS. Theologiæ Doctor.

An. Chr. 1515.

In suo Lexico, verbo Resurrectio, edito Antuerpiæ in ædibus Petri Belleri, sub scuto Burgundiæ anno 1576. f. 283. circa finem.

SIcque secundùm carnem immortalis resur-

rexit: secundùm hanc enim cecidit, dum anima à carne per mortem separata fuit; animæ itaq; & corporis reunitio, resurrectio dici potest. Et hoc est, quod dicitur, EXTRA, de summa Trinitate, & fide Catholica, Cap. FIRMITER. descendit in anima, resurrexit in carne, ascendit pariter in vtroque.

NOTA. *Iterum redit argumentum de anima separata à corpore, contra Vbiquitatem insolubile.*

An.Chr. 1520. THOMAS CAIETANVS Cardinalis *In quatuor Euangelia apud Ioannem Badium Ascensium, & Ioannem Paruum, & Ioannem Boigny 1532. in Matth. cap. 28. fol. 80. pagina versa lit. k. & i.*

NOn est hic, surrexit enim.) Voluit diuina prouidentia IESV resurrectioni (quæ facta est non coram hominibus videntibus, cadauer eius resurgere, sed sepulchro clauso) testimonium primum perhiberi ab Angelis, vt illi, quibus certissimè constabat, IESVM resurrexisse, annuntiarent, & testificarentur hominibus. (Sicut dixit) affert Angelus verificationem dictorum IESV, quæ erant nota mulieribus, vt fidem adhibeant tam læto nuntio ac testi. (Venite) inuitat ad perficiendum cœptum iter; substiterant enim. (Videte locum) etiam vacuitatem sepulchri affert in testimonium

nium, quod sufficiebat ad comprobandum primum dictum, scilicet, non est hîc; & credibile reddebat secundum, scilicet, surrexit.

Idem in Matth, cap. 28. fol. 82. in principio.

Sum) non dicit ero; tùm vt significetur, se esse verum Deum, qui semper est, nunquam fuit, nunquam erit; tùm vt intelligamus, promitti nobis per hoc non præsentiam IESV corporalem, sed diuinam.

Idem ad Ioannis caput 16 folio 147.

Ad eum qui misit me) vt intelligamus, quòd secundùm quod homo, secundùm humanam naturam, in qua missus est, vadit ad Deum Patrem mittentem.

NOTA *Caietanus extra Sacramentum Eucharistiæ, non agnouit in Christo vllam præsentiam, nisi corporalem & diuinam. De inuisibili Vbiquistica ne somniauit quidem: sed dixit, per diuinam Christum esse Vbique, & secundum eam nobis adfuturum* vsque ad consummationem sæculi, *non autem secundùm præsentiam corporalem, quo ipso negauit fortiter Omnipræsentiam Humanitatis Christi Lutheranam, saluâ tamen Eucharistiâ.*

IOANNES ECKIVS — An. Chr. 1524.

Tomo 3. Homil. de SS. De resurrect. Domini, Homil. 1. num. 1.

DEscendit ad inferos, resurrexit à mortuis.

Gloriosa enim & benedicta anima Christi die Parasceues per mortem à corpore dissoluta, reuerà & essentialiter descendit in limbum, liberare & eripere Patres. *Vide etiam eundem eod tomo, Homil. 3. in die Corporis Christi, n. 2.*

NOTA. *Claritas horum verborum non indiget explicatione, de anima Christi à corpore soluta, & eius vero ac proprio descensu ad limbum Patrum in Inferna ad liberandos eosdem. Vnde consequens est, Christum non fuisse Vbique, secundùm Humanitatem, ex Eckij doctrina.*

An. Ghr. 1526. IOANNES ROFFENSIS Episcopus. *Contra Oecolampadium in Editione prima, Coloniæ per Petrum Quentell, mense Februario anno 1527. libro 2. cap. 23. in fine, fol. 46. versa pagina, in princip. litera B.*

Est aliquando corpore præsens, vbi non adest per gratiam, nimirum in peccatoribus, qui Sacramentum indignè suscipiunt; & est aliquando per gratiam præsens, vbi nequaquam adest corpore, vt in his, qui fidem habent, citra sacramentalem corporis esum. Et demum est alicubi, vbi neque per gratiam adest, neque per corpus, sed per potentiam suæ Deitatis, quomodo nusquam eum non esse credimus; sed nihil horum vetat, quò minùs vbicunque fuerit hoc Sacramentum, ibi sit & Christus in eo realiter.

Idem litera F. lib. 5. c. 32. folio 163.

Non

Non disquirit in ea Epistola Augustinus. An idem corpus esse queat variis in locis, sed an oporteat Christum secundùm Humanitatem (propterea, quòd Deo Verbo coniungitur) vbique per vniuersum diffundi, sicut & Verbum ipsum, cui vnitur, creditur esse diffusum. Et docet, id nequaquam consentaneum esse, atque ob id proximis verbis ante illa, quæ recenses, ait secundùm hanc formam nō est putandus esse diffusus, hoc est, secundùm formam Humanitatis, quanquam Deitas eius vbique sit. Nihil igitur ad hanc Epistolam attinet, an idem corpus queat esse duobus pluribúsue locis, sed an Corpus Christi sit Vbique, sicut & eius Deitas Vbique præsens esse creditur.

Idem dicto folio lit. F. Ecce! ex his verbis Augustinus apertè docet, quid excutiat in illa Epistola, nimirum an Christus, quatenus homo, sit Vbique, sicut & Deus est Vbique.

Et litera G. Huc etiam tendit hæc argumentatio, quâ tandem subinfert, IESVM Christum, qui Deus est & homo, per id, quod Deus est, Vbique esse; per id verò, quod homo est, in cælo esse. Si hîc dixisset Augustinus, tantùm in cælo esse, ô quantum triumphum egisses!

Eodem libro 5. cap. 33. folio 164. litera B.

Quis dicit, Corpus Christi Vbique esse? neque enim sequitur: potest per operationem

Dei corpus aliquod Vbique esse. Igitur ita est de facto. Neque enim Deus ad effectum perducit, quidquid potest. At vrges, potest ergo Deus ad effectum reducere. Potest vtique, modò velit: nihil enim apud Deum impossibile est. Nam potuit tria tantùm ab initio loca creasse; & in singulis horum trium Christi corpus instituisse, quod si Deus ad hunc modū fecisset, iam profectò verum esset: hoc corpus est Vbique: est enim in omni loco: nec propterea sequitur, quòd ipsum Deus sit. Quoniam inde nulla colligitur infinitas, quū non suapte naturâ sit Vbique, sed per forinsecam operationem Dei duntaxat.

Nota I. *Si Christus secundùm Humanitatem est illocaliter in omnibus rebus præsens, falsò dixit Roffensis, Christum esse alicubi per gratiam præsentem, vbi nequaquam adsit corpore: Nam in iustis & Deum amantibus, etiamsi non adesset sacramentaliter, adesset tamen illocaliter & inuisibiliter, iuxta Vbiquistas, etiam corpore. Vbi autem aliquid corpore est inuisibiliter, & illocaliter, non potest de illo verè dici, id* nequaquam adesse corpore.

Nota II. *Pulcherrimè & disertè ait Roffensis, S. Augustinum in epistola ad Dardanum negasse, Omnipræsentiam Vbiquisticam ex vnitione, seu vnione hypostatica sequi.*

Nota III. *Non prodest Vbiquistis, tametsi*

di-

dicat Roffensis, Vnum corpus per Dei absolutam Omnipotentiam posse Vbique & in ombus locis poni: *non tamen hinc sequitur 1. de facto Corpus Christi sic esse Vbique iam positum. 2. non sequitur, illud corpus sic positum Vbique, propriè & verè posse loco moueri. Et sic Christi corpus cùm reuerà secundùm citatas Scripturas, & sententiam SS. Patrum, propriè debuerit concipi, nasci, huc & illuc moueri, vt docet etiam Symbolum, non potuit in omnibus locis poni, & esse Vbique, licet aliquod aliud corpus posset aliàs Vbique esse præsens, sed tunc quoq; redderetur immobile.*

NOTA IV. *Aliud quoq; est potentia Dei absoluta, aliud ordinata, & posito hoc statu rerum. Potest Deus aliquid absolutè, quod non potest, posità aliquâ hypothesi, nempe Scriptura prædictione Christum esse futurum hominem, nasciturum ex Virgine, Hierosolymam ascensurum, vt ibi tradatur Gentibus ad flagellandum & crucifigendum, &c. & propriè loco mouendum, ita vt secundùm substantiam vnum locum deserat, & alium adquirat, &c.*

THEOLOGICA FACVLTAS Parisiensis. An.Chr. 1525.

Initio libri Natalis Bedæ antè citati, habetur hoc testimonium.

De consensu Facultatis Theologicæ Parisiensis super his libris emittendis Testimonium.

 Cùm

CVm multi dicerentur errores inueniri in Commentariis, quos M. Iacobus Faber in Epistolas Pauli, & in Euangelia edidit; multi etiam in Paraphrasibus, quas in Nouum Testamentum euulgauit Erasmus Roterodamus; scripsisétque in confutationem illorum M. Natalis Beda Parisiensis studij Theologus nõnulla, quæ pro more iam obseruato, suæ præsentasset Facultati, vt per illius deputandos visitarentur; ipsis perlectis, post factam in Facultate eâdem per deputatos ad id relationem, super his, quæ in huiusmodi Bedæ scriptis comperissent: consensit & permisit Facultas, ipsos libros imprimi, & venditioni exponi, tanquã qui vtiliter & piè possent legi, vtpote qui pleraque complecterentur ad declarationem defensionémque veritatis. & reuincenda PERVERSA DOGMATA, non parum conducentia. Et pro libris quidem FABRI hoc determinauit ipsa Facultas, 15. die Februarij, anno 1525. in æde S Maturini. Pro libris autem ERASMI 16 Maij, Anno 1526. in Collegio Sorbonæ: quemadmodum ex eiusdem Facultatis decretis authenticè signatis, quæ apud impressorem asseruantur, constat.

An. Chr. 1526.

NATALIS BEDA

In Iacobi Fabri Stapulensis Commentarios, epist. 1. ad Corinth. c. 12. Paris. in fol. apud Iacobum Badium, anno 1526. f. 88, hæc habet.

Pro-

PRopositio CXIIII. Fabri. Corpus Christi, id est, assumpta Humanitas, cælum implet & terram; est enim, vbicunque Verbum Dei est; quia Verbum caro factum est. Quare Verbum nusquam est sine carne.

Confutatio.

QVoniam nonnullis, pro huius assertionis explicatione, per Iacobum designatis, ipse ait: verùm aliàs (si Deus aspirauerit) de hac materia amplius: cui quidem sponsioni vtique non defuit: consultum existimaui huc vocare, quæ post annos circiter decem præstando, quàm dederat fidem, super Ioannis cap. 14. scripsit, illic quidem ipso Doctore ita legimus. Cùm Filius sit in Patre, & in omnibus Sanctis, qui sunt in cælo & in terrra: an etiam corporaliter sit? quidni? sed absq; modo. Nisi dicas diuino & incomprehensibili modo: qui non tam modus, quàm non modus dici debet. Et mirum, si id fides non diceret: cùm videat simul in Iudæa, Africa & Europa, locis innumeris, Filium Dei in corpore sacramentaliter esse. Quid enim dicitur Sacramentaliter: modus est. Quomodo ergo si substrahat modum, non videat vbique Filium Dei corporaliter, sed sine modo ac supra omnem modum esse? vbicunque sanè Christus est, Christus incarnatus est: incarnatus autem sine

fine corpore non est. Et magna est fides, cognoscere Christum corporaliter esse, vbi sacramentaliter est. Sed maior est, cognoscere eum absolutè vbique corporaliter esse. Nam hoc est fine modo cognoscere: illud cum modo. Fides autem, quæ est absque modo, maior est, quàm quæ modum habet. Sic ad Verbum Iacobus.

Ecce! quid per duo annorum lustra Iacobus super Christi corporis essendi modo secum adinuenit! nouum omnino sanè dogma. Non enim illum sanctus aliquis Doctorum istud docuit, sed erroris spiritus: vt quod nullus vnquam verus sapuit Theologus, damnabili singularitate agitatus mundo afferret. Quod planè & hæreticum est, & blasphemum: quódque rident & exspuunt, vel Theologicæ scholæ tyrunculi. Nimirum non sine mysterio permisisse videtur Dominus: vt Iacobus modum hunc per non modum explicaret. Porro citra omnem modum, contra omnium fidelium, & præsertim Theologorum, communem fidem, hæc somniauit, & orbi præsumpsit offerre, puerili sophismate lusus, quo sic argumentatur. Vbique Christus est, (hoc fide pura confitemur) Christus incarnatus est: (& hoc certa tenemus fide.) At quod inde colligit: vbicunque ergo Christus est, ibi incarnatus est, hoc vt blasphemum reiicimus,

Re-

Repuerascat Iacobus, & Logicos (quos tamdiu instruxit) vel senex audiat. Hi quidem à præceptoribus Theologiæ non omnino expertibus imbuti, admisso (quod fidei est) eundem hominem in diuersis distantibus posse esse locis: si inferas: ergo si (verbi causa) sedet aut dormit, vel nudus omnino est, qui Parisiis videtur, aut certo indumentorum genere vestitus conspicitur; ille, qui idem numerò supponitur in Iudæa esse & Hybernia, vel aliis quantumlibet distantibus locis, vbicunque fuerit, sedebit, sicut Parisiis, aut dormiet, vel nudus omnino erit, aut eodem omnino genere vestium indutus, hoc planè inficiabuntur, & meritò quidem: nam corpus hominis nulla sequuntur necessitate, quæ extrinseca sunt. Inualida est igitur omnino hæc Iacobi connexio: Vbique Christus est, & alicubi, imò & innumeris locis humana (vt sic loquamur) carne vestitus, hoc est, incarnatus: vbicunq; ergo est, incarnatus est. Et proinde formam hanc colligendi (quam solus Iacobus sibi formam reposuit) Adolescentes exsibilant dialectici, & quidem iure optimò. Si enim historiis fidei nonnihil adhibendum est, Beatus Ambrosius simul tempore visus est apud Turonos in sancti Martini adesse exequiis, & quasi in actu contemplationis: & veluti dormiens adstare videbatur Altari in Mediola-

nensi

nensi Ecclesia. Non itaque vno in loco eâdem se habebat corporis dispositione, quâ in alio: Mediolani siquidem vt sopitus cernebatur: in Galliis verò sollicitè quam funeris poscebat necessitas, & impigrè exercens. Et siue istud recipiatur (quod tamen nullam prorsus claudit impossibilitatem) siue non: firmum tamen stat, quòd dictum est: non oportere videlicet posito per miraculum (quemadmodum in locis innumeris sacramentaliter est sanctum Christi corpus) homine in pluribus locis: vt si ei (Parisiis loquor) sedenti certâ horâ, eâdem etiam illum sedentem apud Sidonem, vel Tyrum compellem. In quo absurdissimè Iacobus (qui hortatur, vt omnes hoc in negotio ab illusione sibi caueant) illusus est. Quod manifestè docet diuinarum perspicacissimus rerum censor Augustinus libro de præsentia Dei ad Dardanum. Monstrat namque illic, quòd nullus cogitari potest locus, vbi non sit Deus, per Scripturas: quales sunt. Cælum & terram ego impleo. Et in Sapientiæ: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Item & quod Deo Dauid dicit: Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. &c. & aliæ plurimæ sunt ad hoc. At de Christo secundùm carnem priùs eloquens, sic ait: Non est pu-

Parte Operum 6. cap. 5.

Ierem. 23.

Sap. 1.

Psal. 138.

Cap. 3.

putandus Christus secundùm quod homo est, Vbiq; diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit Vbique, vt Deus: Nam & de nobis veracissima Scriptura dicit, quòd in illo viuimus, mouemur, & sumus. Nec tamen sicut ille, vbique sumus: sed aliter homo, id est, humanitas in Deo: quoniam & aliter Deus in homine, proprio quodam & singulari modo. En! apertissimè, quod præmisimus, tradit aquila Doctorum. Cui si nondum cedit (quod tam necessarium fuerit: aut cum pertinaciter hæreticis æternùm perire) Iacobus: audiat quàm absurda, quàm blasphema, quàmque religioni Christianæ inopinabilia sequuntur, quod asseruit: scilicet quòd ex quo incarnatus est Dei Filius, quia Vbique est, & nunquam ab eo separatur assumpta semel Humanitas: vbicunque ille est, necessariò & ipsa est hominis (quam sibi vniuit) natura. Ad hoc dubio procul consequens est, vt Gabrieli paranympho cùm primùm assensit Virgo sancta, dicens: Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum. Corpusculum illud (quod pro sententia Doctorum, omnium qui in matrum vteris vnquam fuerunt infantium, vt sic loquar, minimum fuit) repentè erat extra vterum: neque

Actor. 17.

Luc. 1.

que solùm in manibus matris, sed & in summis cælorum, in mediis, in infimis: neque ibi modò, verùm & in inferno, in profundo maris, in ore Herodis, aliisque quamlibet vilibus locis singulis orbis. Cur hæc, si dicat mihi Iacobus, meum dicis consequi dogma; quæ nequaquam audire sustinent aures piæ. Ei respondemus: quoniam hæc omnia & similia sine numero stultissimè tua confessus es assertione. Mox enim cùm dixerat sacrata Virgo: Fiat mihi secundùm verbum tuum: Dei Filius fuit incarnatus. Qui cùm sit in cunctis per nos hîc iam expressis locis, & aliis omnibus possibilibus: neque per te vsquam peracta incarnatione esse Verbum potest, vbi non sit caro eius: paruulus ergò fœtus ille statim conceptus, vbique fuit. Dicat item Iacobus: in profundo inferni existens tunc infantulus, rogos ne inextinguibiles sentiebat? in mediis pelagi vndis quomodo non continuò fuit obrutus? qui iam adultus (secundùm hominem dico) siti propter itineris angebatur laborem, petens à muliere Samaritana potum; qui & quantum ad flagella & spinas & clauos, cæteráque omnia, quæ mortali corpori læsionem inferunt: fratribus, id est, nobis omnibus assimilatus est: quomodo mox secundùm carnem conceptus, insensibilis fuit? rursum corpusculum ipsum, quod quidem

dum

dum in matris manet vtero, de eius alimentum habet substantia; extra illum, hoc est, in cælo, in inferno, in mari, & vbique vnde fouebatur? Audiat Iacobus. Nusquam fuit (hoc illi astruo) assumpta humanitas, priusquam ex vtero nasceretur: nisi in vtero. Neque dici debet assertiuè in pluribus simul vnquam fuisse locis, secluso Sacramento, nisi hoc certis doceatur testimoniis: quod non puto futurum. Alioquin natus Christus, & per beatam pannis inuolutus eius Genitricem (Iacobus dicat) nunquid in cælorum altissimis, aut infernorum infimis receptaculis existens Filius paruulus, infantilia omnia illa, quæ nobiscum subire dignatus est, tolerabat? Non esset vtique finis absurdarum blasphemiarum, quæ Iacobi stultissimam sequuntur assertionem. Si quis per singula sequi vellet eius incrementa vitæ mortalis, quam in hoc gessit mundo, adolescendo, prædicando, patiendo. Cùm etiam ad hoc sua teneretur positione Faber: in cælo, in inferno, & vbique confiteri Christum in Cruce pendentem fuisse, & alia innumera, quæ in nullius vnquam fidelis venerunt mentem. Sed neque in solo sepulchro per triduum erat corpus mortuum, sed vbique: & sic ab illo nunquam potuit anima separari. Item nec potuit Christus ad infernum descendere, nec ascendere in cælum, quæ ei solùm

competebant ratione carnis assumptæ; qui enim Vbique est, localiter minimè potest moueri. Denique si verum Iacobus somniauit: quomodo per consecrationis verba nouiter incipit sub panis & vini speciebus Christi corpus esse, quod nusquam deest? Sacramentaliter (inquit Iacobus) esse ipsum corpus alicubi: modus est. Vbique verò, si modum substrahat (fides scilicet,) simpliciter absque modo est. Hæc certè Iacobi noua phantasia Sacramenti prorsus tollit vim & dignitatem; nihil enim de nouo incipit præsentialiter esse, vbi nunquam defuit. Hoc tamen Iacobi dogma apud loca, vbi longam traxit moram, nonnulli etiam idiotarum (vt audio) perniciosissimè sequentes, eò peruenerunt dementiæ, vt dicerent. Ex quo (vt docet Præceptor Faber) ita Christus secundùm corpus in digito meo est, sicut sub ea panis particula, quam Sacramentum dicunt Sacerdotes: nulla amplior debetur tali reuerentia Sacramento, quàm cuilibet alteri creaturæ. Quàm pulchra igitur sit Theologia Fabri & scholæ eius, inde liquet, neque id obscurè. Illorum, & nostri, sua pietate Dominus misereatur: regnúmque hoc Christianissimum clementer respiciat: excitétque eos, quibus incumbit, vt aduersus tam horrenda hæresum monstra ita Domini bella

ge-

getant, vt illis penitus oppressis, fidei puritas liberè sola vigeat. Amen.

IODOCVS CLICHTOVEVS

An. Chr. 1526.

De Sacramento Eucharistiæ, contra Oecolampadium, fol. 155. 156. 157. Parisiis apud Sim. Colinæum, in 4. anno 1526.

PORrò quamuis secundùm absolutam Dei potentiam idem corpus simul in omni loco constitui posset, vt iam dictum est, iuxta insignium Doctorum sententiam, non vtique aspernandam: haud tamen apto consequio id colligit in præsenti cauillo Aduersarius, quòd si in pluribus locis simul idem corpus esse ponatur diuina virtute, eodem iure admitti debere, ipsum simul esse in omnibus locis, quoniam non sit valentior ratio (vt ait) quare in hoc, aut illo sit loco, quàm in alio quouis. Nempe sola diuina voluntas sufficiens est, & efficax ratio, cum sua lege ordinata, atque à se constituta, quare idem corpus (vt ipsius Christi in Eucharistia) in pluribus sit locis diuersis eodem tempore, & non in omni loco. Quia scilicet non Dei placitum est voluntati, illud sacrum corpus in omni loco, sicut in pluribus diuersis reponere. Enimuerò secundùm positam à Deo Legem, extra cælum & apud nos non subsistit sanctissimum illud corpus: nisi modo sacramentali, & in sacro Eu-

charistiæ mysterio. Atqui non passim in omni loco consecratur Eucharistia: aut consecrata asseruatur in honesto, & decenti sacrario. Cùm & celebrationi mysteriorum, & consecrationi Eucharistiæ suus sit designatus Ecclesiasticâ sanctione locus: in quo vtrumque pro dignitate fiat. Est igitur in his & illis locis (eos demonstrando, vbi sancta est Eucharistia, per Missæ consecrata celebrationem, aut per consecratæ hostiæ conseruationem) corpus Christi reuerà præsens, quoniam hîc & illic sacramentaliter subsistit, & sub venerandis Eucharistiæ signis: in his verò & illis locis (alios demonstrando, vbi non est sacra Eucharistia) non est corpus Dominicum præsens: quoniam hîc & illic non est subsistens modo sacramentali, & sub sacro Eucharistiæ velamine.

Cæterùm quòd non sit sentiendum, nec dicendum, corpus Christi reipsa nunc esse Vbique: perspicaciter edisserit B. Augustinus in lib. de Præsentia Dei ad Dardanum, cap. 3. vbi de Christo secundùm carnem assumptam loquens, ait: Noli itaque dubitare, ibi nunc esse hominem Christum IESVM, vnde venturus est. Memoritérque recole, & fideliter tene Christianam confessionem: quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde, quàm inde venturus est ad

viuos mortuósq; iudicandos. Et sic venturus est illa Angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cælum, id est, in eadem carnis forma atque substantia: cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit, Secundùm hanc formam, non est putandus Vbique diffusus. Cauendum est enim, ne ita Diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit Vbique, vt Deus; nam & de nobis veracissima Scriptura dicit: quòd in illo viuimus, mouemur & sumus, nec tamen sicut ille, vbique sumus, sed aliter homo ille in Deo: quoniam & aliter Deus in homine, proprio quodam & singulari modo. Hæc Augustinus. At verò non rectò id trahi consequio, vt corpus Christi ratione vnionis suæ cum Diuinitate, diffusum sit per omnia, & Vbiq; sicut & ipse Deus (quemadmodum nunc adducta Augustini verba, vel apertissimè testantur) facilè & hoc potest argumento conuinci, nam in triduo sepulturæ Dominicæ, sacrum Christi corpus erat in sepulchro vnitum Diuinitati: & non in partibus terræ inferioribus, vbi tamen erat ipsa Deitas, sanctæ ipsius animæ vnita. Et è diuerso anima ipsa Christi in abyssis terræ tum erat, & non in sepulchro: vbi tamen erat Diuinitas vnita sacro eiusdem corpori. Similiter

ter in homine caput vnitur animæ rationali, non tamen est, vbicunque sit eadem anima. Non enim est ipsum caput, vbi est eiusdem hominis pes, etiam vnitus eidem animæ; neque pes hominis est, vbi caput eiusdem: licèt ambæ illæ partes eidem animæ vniantur, etiam toti in singulis earum. Non igitur quod alteri vnitum est, oportet in omni esse loco: vbicunque est idipsum, cui vnitur. Porrò prædictis Augustini ad Dardanum verbis, succinit & Anshelmus, eandem de subsistentia corporis Christi in pluribus locis, non tamen simul in omnibus, hisce verbis corroborans sententiam: nec tamen naturam corporis Domini Vbique esse dico: quia nec opus est, nisi vbi vult, & vbi fidei certo Sacramento hoc operatur, ad quod assumpta est & glorificata: mysterium scilicet saluationis humanæ.

An. Chr. 1564.

GEORGIVS CASSANDER

In Consultatione de articulis Religionis; articulo 3. edit. Colon. de anno 1573. in 8. f. 7.

EX hac autem vnione humanæ naturæ cum Diuina, quæ facta est per Incarnationem & Assumptionem humanæ naturæ à Verbo, orta est iam olim quæstio (quæ nunc vehementer exarsit) de humana natura in persona Christi, asserentibus nonnullis, iisque principibus huius causæ, & vt regulam fidei asserentibus,

tibus, humanam in Christo naturam, propter vnionem hypostaticam cum Verbo, & maximè propter sessionem ad dexteram, totius Maiestatis diuinæ esse participem; ita vt ratione huius vnionis & sessionis humana natura sit Vbique, haud aliter atque ipsa Diuinitas, vtrâque naturâ inconfusâ manente.

Quæ sanè sententia hactenus in Ecclesia Christi inaudita fuit, omnibus tam veteribus Ecclesiasticis, quàm recentioribus Scholasticis, vno ore profitentibus, Christum esse Vbique, secundùm quod Deus est; in certo autem LOCO & MODO in cælo, secundùm quod Homo est, vt diffusè disputatur ab Augustino epistola ad Dardanum. Atque ex hac proprietatum distinctione, naturarum quoque distinctionem aduersus Eutychianos concluserunt. Quemadmodum igitur non sequitur, vt quia humana naturæ æternæ vnita sit, ideo quoque sit æterna, ita nec sequitur, vt quia infinitæ & immensæ naturæ sit vnita, ipsa quoque infinita sit & immensa. Neque verò hæc inseparabilis coniunctio Diuinitatis & Humanitatis id effecit, vt Vbicunque sit Diuinitas, ibidem quoque Humanitatem esse, necesse sit: Hæc enim ita inter se affecta sunt, vt alterum ab altero excedatur. Thomas contra Gentiles: In nobis, inquit, natura excedit personam, quia Humanitas reperitur extra indiui-

duum suum: Verùm in Christo excedit persona naturam assumptam, quia persona illa Vbique est, non assumpta natura. Huius rei qualecunque exemplum afferri potest, de anima & corde, quæ in homine, & tamen non vbicunque est anima, ibi est cor. Anima enim est in toto corpore, cor verò in media corporis parte.

Neq; verò dextera Patris, ad quam Christus assumptus est, VNQVAM à QVOQVAM sic intellecta fuit, vt ex ea immensitas, vel (vt nunc loquuntur) VBIQVITAS corporis Christi seu humanæ in Christo naturæ statueretur, sed per eam omnes summam & præcipuam felicitatem, vel iudiciariam potestatem Christo homini collatam intellexerunt. Illud verò nouum & inauditum, quòd ex hac immensitate Humanitatis Christi præsentiam corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ confirmant, quam alij magis & rectiùs ad diuinam voluntatem, & omnipotentiam referunt; quemadmodum illi, qui cum veteribus Humanitatem Christi finitam agnoscunt, contra veteres ex eo præsentiam corporis Christi in sacrosancta Eucharistia tollendam sentiunt.

NOTA I. *Georgij Cassandri testimonio sæpè vtuntur Lutherani contra Catholicos in iis, quæ putant nobis aduersari; & vix inuenire tunc possunt satis speciosa & honorifica verba, quibus illum*

hum commendent: patiantur ergo nunc nos quoque vti testimonio illius contra ipsos. Et quamuis neq; Catholicè omnia tradiderit, neq; tamen Lutheranus, aut Caluinianus fuerit; sed bona fide pacificator esse voluerit inter omnes, & magis Indifferentista, quàm vllius alterius sectæ; cuius errores benè refutauit Bellarminus lib. 3. de Laicis, cap. 19. & Fratres VValenburgij in Motiuis Domini Landgrauij, Motiuo 3. cap. 10. tamen de hac Controuersia scripsit, quantum sciuit tunc temporis, hoc est, anno 1564. communi sensu in Germania de Vbiquitate notum & receptum fuisse. In qua sua sententia ferenda Lutheranis Vbiquistis è diametro aduersatur, & eos authoritate veterum ac recentiorum benè confutat, additque rationes tam euidentes & solidas, vt eas nullus aduersariorum hactenus potuerit soluere.

NOTA II. *Idem Cassander in fine etiam Caluinistas & Zvvinglianos carpit, quòd cum veteribus Humanitatem Christi finitam agnoscant, contra veteres tamen ob hanc ipsam finitatem ipsius, corpus Christi in Eucharistia præsens esse negent, de Diuina voluntate & omnipotentia Dei nihil cogitantes: in quo notandum est, ipsius iudicio, etiam veteres, sententiæ Catholicorum de præsentia corporis Christi in Sacramento, fuisse adstipulatos.*

Nota III. *Ex quo etiam manifesta est calumnia Pupillæ Saxonicæ, fol. 423. & magni libri*

Lipsiensis, fol. 824. de Catholicis, quòd illi primùm aliquot annis post sancitam pacem religionis anno 1555. sententiam, qua negat Vbiquitatem, in suam Ecclesiam inuexerint, quæ antea semper aliter docuerit, & cum Vbiquetariis senserit tot sæculis: quod reuerà est ingens mendacium, vti toto hoc libro demonstratur; quia omnium sæculorum Patres & Doctores Orthodoxi Vbiquisticam doctrinam semper damnauerunt. Id quod etiam Illustrissimus Marchio Badensis Iacobus in suo Motiuo 2. fol. 131. testatur; nempe aliquos Vbiquistarum nunc clamare, olim Catholicam Ecclesiam etiam credidisse, & defendisse doctrinam de Omnipræsentia Humanitatis Christi; sed per Iesuitas primùm ab ea deflexisse sententia; quod dicere, ait, esse dedecus in cælum, seyein Schand in Himmel / vnd wäre allein gnug die Lutherische Lehr auß solchem Angeben zuverdammen/ *& vel solùm sufficere ad Lutheranam doctrinam, ex tali relatione, condemnandam. Quisquis enim veterum monumenta Doctorum vel obliquè inspexerit, mendacium Lutheranorum manibus palpabit.*



CLAV-

CLAVDIVS SAINCTES, An.Chr.
Episcopus Ebroicensis 1575.

In Tractatu de rebus Eucharistiæ controuersis, Parisiis ex officina P. S. Huillier, via Iacobæa, sub signo Oliuæ, anno 1575. Repetitione 4. cap. 8. De Vbiquitate Humanitatis Christi, siue de Omnipræsentiâ contra Brentianos, sic scribit:

QVemadmodum antè monui, peccant Brentiani & Sacramentarij, quòd nimium suis ingeniis arrogent, & cupiditate vincendi ad dexteram & ad sinistram nimiùm inclinent. Peccant, quòd ex particularibus imperitiùs sine scripturis, imò contra scripturas, vniuersalia aut alia singularia, non satis necessariò cohærentia, violentiùs extorqueant. Nam Sacramentarij ex concessa natura humana Christi, & quibusdam proprietatibus eius necessariis ac substantialibus, alias omnes vniuersaliter exigunt etiam accidentarias, & à Christi Humanitate imprudenter ablegant conditiones omnes, quibus natura diuina humanam dotauit in Christo, ita vt ne tantillum quidem loci cōcedant ab ipso occupari posse supra corporis naturalis capacitatē, sed ipsum cum aliis creaturis vni & particulari spatio alligent. Brentiani contrà ex quibusdam admissis prærogatiuis in eodem Christo supra natu-

Ex quibus principiis errēt Brentiani & Sacramentarij.

naturam nostram, alias omnes etiam Diuinas proprietates, verisimiliter, vt illis videtur, consequentia, sed sacris Litteris minimè expressa, generaliter colligunt, & tantùm non obliuiscuntur Christum fuisse hominem. Vt Sacramentariis ad imminuendam Christi maiestatem, in omnibus, quæ displicent, subseruit, assimilatum ipsum per omnia fratribus; ita iactant Brentiani: Ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia: vt sicut Iouis, ita Humanitatis Christi colligant esse omnia plena. Ecclesia verò Catholica vtriusque naturæ essentiam, atque essentiales proprietates, sartas tectas tuetur, vt Christus tam verè homo persistat, quàm est DEVS benedictus in sæcula. De accidentalibus verò eiusdem Humanitatis Christi conditionibus non plus audet decernere, quàm ex scripturis per sanctas Synodos explicatis appareat. Priuato arbitrio & iudicio ex vnione personali nullas temerarias consequentias aut prærogatiuas Christo afferit, sed eas tantùm defendit, quas Scriptura proponit, aut necessariò colligit: alias confictas ab hominibus vel refellit, vel de ipsis per Scripturas non liquere ostendit, & DEI reseruat potentiæ & consilio. Experitur, quàm sit acuta, audax ac fallax hominum industria, & quantum in Dei factis cæcutiat. Per suas illationes & consecutiones, nouit ho-

Ephes. 4.

Quomodo Ecclesia Catholica inter vtrasque hæreses pugnantes se gerat.

hominem mirum in modum delectari, ex musca Elephantem, & viciſſim ex Elephante muſcam reddere: in Chriſto ex Humanitate Deitatem, ex Diuinitate Humanitatem fabricare. Sic Manichæi ex eo, quòd Diuinitatis plenitudo habitaret in Chriſto corporaliter, accepta ratiocinandi occaſione, Chriſtum non verè mortuum prædicabant: quia mors non caderet in corpus, vitâ immortali pleniſſimum. Alij nullo dolore affectum putabant in paſſione: qui vt rubigo ferrum ignitum non ſolet inuoluere, ſic nec dolore potuiſſe dicebant tale corpus inuadi. Experitur prætereà, quàm ſit periculoſa argumentandi formula, de poſſibili ad ineſſe, aut à ſimili, niſi de facto antea ſecundùm Scripturas conſtiterit. Ad Sacramentariorum autem & Brentianorum inimicas acies reſpondet, non ita vniuerſaliter ab vtraq; parte accipiendam & interpretandã dictionem, *Omnia*, vt nihil omnino dematur, & excipiatur: ſed vocem, *omnia*, ſecundùm materiam aptam & ſubiectam exponi debere. Nam vt Chriſtus *omnia impleuiſſe*, ſic omnia *traxiſſe poſt exaltationem* dicitur: agebat de bonis ſpiritualibus Apoſtolus, cùm ait, Chriſtum *impleuiſſe omnia*: ſiquidem iſtud quaſi periphraſim Pſalmi inſeruit, quem allegat, *Aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*: qui vt *adim-ple-*

Errant Brentiani, & Sacramentarij ex malè intellecta dictione, *Omnia*.

pleret omnia à se promissa; ipse ascendit: quoniam spiritus nondum erat datus: eò quòd nondum IESVS esset glorificatus. Breuiter Vbiquitatem siue Omnipræsentiam Humanitatis Christi nusquam recipi, aut introduci sustinuit Ecclesia Catholica; quoniam ex Assumptione ad dexteram Patris, non à Scripturis illata sit, sed vt nonnullis placet, ab Albigeis, Stapulensi Fabro, Luthero & Brenzio promulgata, neque necessaria ad Eucharistiæ veritatem tuendam appareat.

Ecclesia nunquam credidit Vbiquitatem corporis Christi.

Nihil nostrâ modò interest, an capiatur Vbiquitas Humanitatis Christi, vt magnitudine & extensione corporis omnia locorum spatia occupet & repleat, quemadmodùm aër per omnia diffusus in omnia loca sese extendit: an intelligatur Vbiquitas per assistentiam atque potentiam, sine corporali extensione, vel diffusione substantiæ, aut alia crassa ex nostra carne imaginatione; quomodo dicitur DEVS Vbique existere, omnia implere, attamen nullo loco contineri aut coëxtendi. Etenim ad Dardanum scribit Augustinus, in eo ipso, quòd dicitur DEVS Vbique diffusus, carnali resistendum esse cogitationi, & mentem à sensibus corporis auocandam, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut fumus aut humor, aut aër, aut lux ista diffunditur. Omnis enim huius-

S. August. Epist. 57.

modi

modi magnitudo minor est in sui parte, quàm in toto. Attestantur Scripturæ, neque corporalem, neque spiritalem Vbiquitatem DEO propriam, Humanitati Christi competere, siue ante Ascensionem siue post. Nam vtrique Vbiquitati aduersantur isti aut similes textus: *Gaudeo, quòd non fuerim ibi, vt vos credatis: Surrexit, non est hîc: Hic IESVS, qui assumptus est à vobis in cœlum.* Imprimis hos textus & articulos de ascensu Humanitatis Christi, & reditu ad iudicandum viuos & mortuos, si interpretemur de locatione & situ corporali: igitur & post Ascensionem, sicut antea, corpus Christi ponitur alicubi corporaliter, neque ibi modo Diuinitatis existit, vbi circumscribitur loco corporeo. Sin exponamus scripturas illas de existentia spiritali humanitatis, sic etiam ipsum distribuere, & applicari corpori Christi oportebit, vt illo existendi modo alicubi ipsam adsistere ostendant, alicubi negent, ac nequaquam simul omnia occupare. Ad quem enim locum spiritaliter, seu modo Diuinitatis ascendit, si tunc omnem impleuit? aut ad quem eo pacto descendat, quem nō etiam nunc repleat, si illo præsentiæ vestigio Vbique subsistit? Quòd si ratione effectuum, sicut DEVS, ascendere & descendere dicitur, non quòd moueatur loco: igitur Christus sua Ascensione aliquid operatur visibiliter in cæ-

Ioan. 11.
Matth. 16.
Actor. 1.

Vbiquitas repugnat Ascensioni corporis Christi.

lo,

lo, quò visibiliter ascendit, quod antea non agebat: & istud etiam operabitur vsque ad iudicium, quamdiu specialiter ibi esse creditur. Explicetur etiam, quid sit in Deo Vbiquitas, vt iudicetur, an Christi Humanitati possit congruere. Sapiens hoc scitè aperit: *Attingit*, inquit, *à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Causam reddit, cur dicatur DEVS replere omnia: quia scilicet omnium rerum causa, vniuersa loca suis effectibus impleat, quos fouet & conseruat, extra omnem locum residens, & omnibus locis atque operibus suis incubans. An verò Humanitas Christi ipso sit Vniuerso capacior, vt etiã extra ipsum immensa imperet, & operetur omnia ac foueat, vt Vbiquitatis diuinæ sit particeps, scripturæ & rationi credo repugnare. Attamen si æquatur Humanitas dexteræ DEI, & maiestati siue potestati, eò pertingat necesse est, vt vniuersalitatis capacitatem longè latéque excedat, & Christus, in quantum homo, omnia fulciat. Vt autem disputatio magis innotescat, repetendum Brenzianos fingere ex vnione personali Christo datam diuinam Omnipotentiam & Omnipræsentiam, ita vt ab initio Incarnationis & Conceptionis corpus Christi ex eorum sententia fuerit Vbique cum DEO, propter vnionem personalem, & tamen visibiliter inter homi-

Sap. 8.

nes

ntes conuersatum fuerit, & mysterium Redemptionis obiuerit, ac mortem atque alia pertulerit. Ista sanè ne quidem cohærent inter se. Nam DEVS non est aliter præsens Vbique, quàm illimitatus & incircumscriptus totus in toto mundo, & totus in qualibet mundi particula. Proinde si ex communicata Omnipotentia Diuinitatis, eiusdem Omnipræsentiam Humanitati Christi Brentiani, ab instanti Incarnationis & vnionis personalis cōferunt, semper corpus Christi fuit in toto mundo, & totum in qualibet mundi particula: & nihilominus cùm in vita ageret, mouebatur motu physico & naturali, & ex vno loco in alium transibat. Hoc quidem est, in vno eodémque loco describere corpus Christi circumscriptum & incircumscriptum, definitum & indefinitum, visibile & inuisibile, patibile & impatibile. Viderint, an ista possint vllo modo simul consistere. Physico corporeóque motu ferri, agitaríque illud tantùm dicitur, quod ex vno loco commeat in alium, vbi priùs non erat reuerà. Quomodo ergo corpus Christi Vbique reuerà præsens erat, & tamen mutabat reuerà locum in suo motu naturali & visibili? Adde, quòd si ab eo tempore, quo DEVS incarnatus est, eius Humanitas Vbique existeret, apertè consequeretur, illum, priusquàm ex Matre Virgine nasceretur, ex-

Vbiquitas non potest dari corpori Christi, ex vnione personali.

tra maternum vterum corporaliter fuisse, & postquam in lucem editus fuit, in vtero nihilominus, sicut antè erat, remansisse, atque ita ex vtero materno exiuisse nunquam. Adhæc ne animo quidem concipi potest corpus Dominicum, ante Christum passum in pari gloria & maiestate cum Verbo Vbique fuisse, & nihilominus pati & mori potuisse. Quomodo enim id, quod dolori, passioni, morti, cæterisque humanis miseriis obnoxium est, eâdem cum verbo gloriâ & maiestate præditum esse, aut dici queat?

Quòd si pergunt pertexere Brentiani corpus Christi ante resurrectionem, propter dispositionem redemptionis nostræ suspendisse aut occultasse maiestatem suam: ita vt habitualis in Christo solùm diuina maiestas, & nō actualis resideret, quemadmodum Andreas Schmidelinus distinguit; igitur vel non fuit corpus Christi vnitum personaliter cum Diuinitate ante resurrectionem; vel vnio non fuit actualis, sed tantùm habitualis: siquidem iuxta Brentianos vnio personalis consistit in maiestatis & gloriæ communicatione. Ex quo fit, vt qualis habetur communicatio, talis sequatur personalis vnio. Vno tandem verbo, Vbiquitatem refellimus, quòd Diuinitati propria sit, à quâ nec omnipotentiam,

nec

hec alias suas proprietates Humanitati Christi fuisse communicatas demonstrauimus.

Denique dogma istud Christo, Scripturis & Symbolis de Descensu Christi ad inferos, & Ascensu ad cælos repugnat: Scripturarum & Patrum omni authoritate caret, ac testimonio. Imò Patres ipsi manibus pedibúsque reluctantur. Alij Humanitatem Christi limitatam docent, & ex eo, quòd huc & illuc commigraret, & in cælum ascenderit, Eutychetem conuincunt, & naturas diuidunt, ac Christum Filium hominis secundùm Diuinitatem solam in cælo fuisse, cùm in terra viueret, distinguunt. Omnes suo ordine in fine huius capitis collocabimus.

Brentiani vni personalis vnionis firmamento innituntur, ac putant in eo potissimũ sitam esse, vt vbicunque sit vna natura, ei altera indiuisa comes assistat, ne alicubi comperiatur diuina sine humana; ne desinat & cesset vnio, ac soluatur Christus.

Deinde affirmant, vnionem personalem requirere vnam vtriusque naturæ indiuisam actionem, & proinde vnam Vbique præsentiam. Similitudines petunt à corporis & animæ connexione, per quam fit, vt vbicunque corpus fuerit, anima non desit, & vicissim vbicunque anima fuerit, corpus quoque adsit: & per quam etiam fit, vt anima per corpus, &

Brentianorum discordia de Vbiquitate.

cum corpore anima agat. Profectò si quis Schmidelini theses, & eiusdem piam assertionem doctrinæ de personali vnione, quâ respondetur ad primam partem libri, quem scripsit Beza contra Brentium, diligentiùs cõtulerit, nisi fallor, iudicabit discipulum à Brentio magistro, & à semetipso in pluribus discrepare, & placita Brentij de communicatione proprietatum magna ex parte discrepare, cùm profiteatur planissimè, non in eo consistere personalem vnionem, quoad in Humanitatem Diuinitatis proprietates transferuntur, quas illi soli deceat reseruare, sed quòd Diuinitatis nihil gerat, & administret sine humanitatis opera, & præsentia, ad similitudinem vnionis, quæ inter animam & corpus intercedit, in qua non communicantur animæ proprietates ipsi corpori, vt eas intra se, quatenus distinguitur ab anima, possideat, & ex illis cognomenta reportet, etiamsi concedatur animæ ad agendum instrumentum. Itaque communicationem proprietatum à Brentio defensam, expressis verbis Schmidelinum restringit ad communicationem actionum, vt diuina natura in Christo nihil agat sine humana. Sic enim concludit: Manet hæc communicatio ἐνεργειῶν naturis in substantia dissimilibus & inconfusis permanentibus. Video quidem verbis istis subesse fallaciam: Nihilominus

minus

minus si tantùm datur communicatio actionum ad eum sensum, vt vna natura non agat sine altera, non autem transfusio proprietatum & potentiarum: quid ergo etiam Deitatis plenitudinem, omnipotentiam, infinitatem, Vbiquitatem, & increationem communicari Humanitati non solùm fatetur Brentius, sed contendit, vt à Beza productis eius dictis redarguitur? Quid ita à Schmidelino & aliis disputatoribus communicatio idiomatum, & euectio ad dexteram Patris vrgetur & ostenditur, cùm instrumenti ad agendum cum causa potissima effectrice concursus infundi, & communicari proprietatem ac virtutem potioris agentis non desideret, sed ea vel intra se, vel vna secum operante contentus sit? Quocunque tamen modo vertant sua dogmata Brentiani, nihil ad nos attinet, neque exprobramus saniorem mentem, sed in ipsis, quemadmodum & in aliis, qui à semitis Patrum declinarunt, accrescere per Dominum nostrum IESVM Christum precamur ex animo. Vt rem tamen assequamur, si personalis vnio tam arctam requirit naturarũ colligationem, vt quocunque in loco vna fuerit, ibi alteram sisti oporteat, certè nunquam Christus inuenietur passus, neque animam efflasse: siquidem anima in triduo sepulturæ perstitit vnita Diuinitati, quæ in sepulchro

etiam corpori sociata permanebat. Idcirco necesse erat naturam tum vnitam Diuinitati, etiam adesse & coadunari corpori: quoniam ex Brentianorum sententia, rerum in eâdem hypostasi copulatarum vbicunque vna presto adest, ibi quoque altera adsistit. Proinde cùm nunquam anima corpus Christi, sicuti nec Diuinitas, deseruerit, nunquam Christus vitam obiit: & si obiit, anima separari debuit, atque ita abesse à loco, & à re, cui personaliter hærebat Diuinitas".

Assentitur Schmidelinus, etiam animam ratione essentiæ, quatenus alligatur corpori, esse in pede, capite & aliis membris totam sine corpore: sed negat, quamdiu præpeditur corpore, sine ipso agere. Saltē ergo essentia Diuina, cùm sit simplicissima & mundo capacior, infinitis in locis potest sine Humanitate residere, quamuis non valeret sine ipsa agere. Diuinitas certè, etiamsi nihil creaturas curaret, Vbiquitatem non amitteret: nihil enim mundi conditione ipsi accessit, aut decessit potentiæ: nec Omnipræsentia eius infinita per Incarnationem est imminuta. Ob eam causam oportet Vbiquitatem tradi Humanitati Christi, etiamsi nihil cum ipsa ageret Diuinitas: aut admittere, sicuti verum est, in infinitum longiùs & latiùs extendi Humanitate Diuinitatem.

Mirum

Mirum æquè videtur, nihil sine Humanitate post Incarnationem actum fuisse à Diuinitate. Etenim cùm maiestatis radios delituisse in Christo dicunt Brentiani, quamdiu in hoc mundo fuit, agebat tamen Diuinitas cum Humanitate miracula & opera Redemptionis nostræ: sed an his alligata, ab aliis sine Humanitate in cælo & in terra administrandis vacabat, & cessabat otiosa? Insuper an quia anima non operatur sine corpore quoad aliquid, sicuti non intelligit sine corporis phantasmate, ideo animæ intelligentia, & operatio non peruagatur altiùs, quò non attingit corpus? an corpus etiam ibi esse dici debeat, quò penetrat animæ actio? Exempli causa, Anima mente & fide negotiatur in cælo circa Deum, Christum, spiritales creaturas & sidera, an ideo ibi esse defendetur? An Diuinitas in Humanitate Christi concluditur, quemadmodum anima corpore? An si aliquam actionem eliciat à persona Christi, duabus naturis conflata, ab vtraque cogitur eam semper mendicare, vt effecta sit imbecillior, quàm ante Incarnationem erat? An non suffecerit eas communicari Humanitati, quæ ad salutem nostram spectant, cuius causa Humanitatem induit? An si omnes propter personalem vnionem communicat, opus fuerit Humanitatis præsentiâ in totius actionis curri-

riculo : an non potiùs satis fuerit actionem prodiisse à persona, Diuinitate & Humanitate prædita, quantumcunque postea dilatetur ?

Quamobrem res ita habet, vt post veteres Theologos scribit Beza, vt quæ coniuncta sunt, siue personali vnione, siue alia, semper quidem simul ita sint, vt vnum compositum pro coniunctionis suæ modo constituant, quamdiu coniunctio illa perstiterit. Sed nunquam simul ita sunt, vt vbicunque vna pars, ibi sit etiam altera, nisi res coniunctæ æqualiter pateant, siue quoad essentiam, siue quoad potentiam. Qua de causa rectè & prudenter Augustinus de Christi Humanitate locutus concludit : *Non est consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt DEVS.* Valeat itaque Vbiquitas Humanitatis in Christo, *quam prodigiosam & vetustati erudita ignotam* præclarè dixit Melanchton.

Augustinus Epist. 57.

Lutheranorum discordia circa Vbiquitatem.

Lutherus in maiori confessione, in Controuersia Sacramentaria: *Nolle se cum quoquam contendere de Vbiquitate, profitetur, tanquam de re minimè necessaria : cùm non alia quærenda sit ratio corporalis præsentiæ Christi in Eucharistia, quàm ipsius verba.*

Ex Lutheranis alij sese tam prodigiosæ opinioni opposuerunt, Martinus Chemnitius, Ioachimus Mörlinus, Paulus Eberus, Nicolaus Hemmingius, Victor Strigelius,

Nico-

Nicolaus Selnekerus: alij nutarunt, vt Matthias Illyricus, &c.

Non tantùm verò inutilis & superuacanea iudicari debet illa, ad confirmationem præsentis carnis Christi in Cœna, vt pudendis erroribus tam augustum errorem contaminet & infamet. Nam si ex vnione hypostatica, Christus rebus omnibus secundùm Humanitatem adest: ergo priusquàm in vltima illa Cœna Eucharistiam confecisset, corpus & sanguis ipsius in pane & vino præsentia continebantur, vt nunc in Sacramento Eucharistiæ habentur, cùm panis & vinum ante verba cœnæ prolata res quædam essent. Quocirca corpus & sanguis Christi nunc aliter sunt in panis & vini speciebus, quàm fuissent, etiamsi verba Cœnæ Dominicæ nunquam Christus pronuntiasset. Imò ad probandam præsentiam corporis Christi in Cœna, si Brentio Vbiquitatem asciscere opus fuit, non alio modo inerit Eucharistiæ caro Domini, quàm in hordeo, fœno, & rebus aliis vilissimis: neque qui panem illum comederit, aut poculum illud biberit, magis percipiet corpus Domini & sanguinem, quàm si asinus fœnum aut tribulos arroderet; nec maior Eucharistiæ debetur reuerentia, quàm rebus obscœnissimis, quas pudor est effari. Semper enim ex ista opinione, & opinionis introducendæ causa, caro Do-

Vbiquitas fœdat præsentiam corporis in Sacramento.

mini implet omnia: neque iam per verbum illius ipsa specialiter sistitur in Eucharistia, aut in Sacramento comeditur, sed per Vbiquitatem, si ista causam dat, vt corpus Christi in Eucharistia subsistat. Etenim licebit de singulis rebus tam verè, quàm de Sacramento proferre, HOC EST CORPVS MEVM, si non alia singularis causa præsentiam carnis efficit, quàm ipsa Vbiquitas, & corporis Christi Omnipræsentia.

Respondent Brentiani de Eucharistia illud pronuntiari, non de aliis rebus, quoniam Corpus & Humanitas Christi in illa adsint in vsum & esum, in aliis verò minimè. Atqui nō de fructu, nec de vsu, nec de fine præsentiæ, sed de ipsa præsentia quæritur. Hæc quidem verba, *Accipite*, *Comedite*, *Bibite*, vsus præsentiæ; sed ipsam præsentiam absolutam enunciant ista, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*: quæ si veritatem tantùm inueniant ex Vbiquitate, inerit corpus & Humanitas Domini.

Certè si staret doctrina de Vbiquitate, & causa, inquam, propter quam à Brentianis inducitur, erit quidem in alium finem, corpus Christi in pane, siue cum pane (vt Lutheranorū verbis vtar) sed non aliter, neq; magis verè, quàm apud inferos ipsos nunc est. Ista si Brentiani execrantur, nos quoque abominamur:

sed

sed culpa sit penes eos, ex quorum dogmate ista necessariò consequuntur.

Postremò, si quia cælum & terram implet diuina Christi maiestas & essentia, id ad carnem extenditur: ergo extra Cœnæ vsum caro Christi in fidelibus habitat, quia potiuntur Deitatis præsentiâ: Ideo non alia manducatio realis carnis Domini quoad substantiam & fructum in Cœna, quàm de fide absq; Symbolo percipitur. Albertus Sperlingius Defensionem Disputationis Ingolstadij à doctissimis Iesuitis habitæ, ex qua plurima, ac ferè omnia ista excerpsi, contra Andream Schmidelinum edidit, & ostendit illum studio Vbiquitatis suæ fœdissimè à Lutheri doctrina de Cœna Domini ad Cinglianismum deficere. Theses ab ipso propositas recitat. Prima est, Non ratione absoluta præsentiæ corpus in Cœna adesse, sed tantùm respectu nostri dici præsens, vt nobis ab ipso conferatur aliqua sanctificatio & consolatio, quomodo in Baptismo & aliis Sacramentis, ita etiam ait corpus Christi nobis administrari. Sic enim ad verbum habet Thesis: *Etsi quoad se attinet, omnibus rebus æqualiter adsit Christus, non tamen æqualiter cum omnibus agit, & æqualiter se communicat: & quia ad sanctificationem & consolationem adest in Sacramentis sacrosanctis, ideo alio modo eum in Sacramentis respectu nostri adesse dicimus.*

Thes. 57. 60. 62. 80. 102.

Ad-

Ex Vbiquitate ad Caluinismum deficiunt Brentiani.

Addit: *Corpus Christi in cælo, sine physico loco, omnia in se modo cælesti præsentia habere.* Quidquid denique nobis distribuitur, actionem vocat, quæ in cælo peragatur. Quæ sanè omnia pura & puta sunt Cinglij & Caluini dogmata. Sic Lutherani tandem ferè omnes profecerunt in peius, dum cupidiùs suorum errorum idola contra Ecclesiam Catholicam extruunt.

Brentium quidem cum Schmidelino apud tabernas Alsatias in Comitatu Illustrissimi Ducis Wirtenbergensis vidi, ipsúmque sum allocutus aliquantum temporis, cùm illuc in Comitatu Illustrissimorum Principum Guysianorum venissem; Brentius in colloquio, vultu ac gestu magnam præ se ferebat modestiam, atque concordiæ cupiditatem inter Christianos. Schmidelino nondum videbatur deferbuisse ætas, & quodammodo vereri videbatur, ne quid seni magistro excideret, quod ad pacem Ecclesiæ Catholicæ spectaret. Hactenus de facto, ac de naturis in Christo secundùm earum proprietatem ac potentiam.

Antecedente capite non reticuimus, quid cum nostris sentiremus ex diuina omnipotentia in Humanitatem Christi conferri. Deinde hîc de naturis habitus fuit sermo, non de subiecto & supposito, duabus naturis affecto, qui est Christus Deus & Homo, quíque per com-

communicationem idiomatum homo est vbique, sed non quatenus, vel secundùm suam Humanitatem. Iam Patres Vbiquitatis censores adhibeamus. Hæc Claudius de Sainctes, quæ omnia testimoniis Patrum contra Vbiquistas, nominatim Tertulliani, Ambrosij, Basilij, Didymi, Theodoreti, Cyrilli Alexandrini, Fulgentij, Gregorij Nisseni, Maximi, Augustini, Damasceni confirmat: quæ omnia iam inter reliquorum Patrum sententias sunt recensita.

EXCERPTA EX MONVMENTIS sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis. An. Chr. 1630.

ANno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo, die prima Iulij sacra Theologiæ Facultas Parisiensis post Missam de sancto Spiritu solito more celebratam ordinaria habuit comitia in Aula Collegij Sorbonæ, in quibus H. M. N. Georgius Sroger Syndicus requisiuit, vt quia rogatus fuit à Reuerendissimis Germaniæ Prælatis, qui quæstionem habent aduersus Lutheranos, propterea quòd sustinent & opponunt, ante annum Domini millesimum, quingentesimum, quadragesimum, neminem Doctorum, nullámue Facultatem Theologicam condemnasse hæreseos opinionem Vbiquistarum, qui Christi Domini Huma-

manitatem contendunt Vbique existere; placeret sacræ Facultati Theologiæ Parisiensis reuoluere sua monumenta, ex quibus, vti relatum est ad illos, patebit, Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto, requirente Magistro Nostro Natali Bedâ tunc Syndico, eandem sacram Facultatem edidisse Censuram aduersus Fabrum Stapulensem, qui praua illa & hæretica opinione erat imbutus. Qua audita requisitione, sacra Theologiæ Facultas nominauit H. M. N. Nostros Ysambert & Bachelier, qui vnà cum Dominis Decano & Syndico incumbant in istud negotium, & scrutentur Codices, & tabulas Facultatis', si fortasse aliquid tale reperiretur, contra Stapulensem, & alios Vbiquetarios.

Anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo, die prima Augusti sacra Theologiæ Facultas Parisiensis post Missam de sancto Spiritu, solito more celebratam, ordinaria habuit comitia in Aula Collegij Sorbonæ; in quibus auditi sunt H. M. N. Nostri Ysambert & Bachelier, & iuxta Prouinciam sibi à Facultate commissam, retulerunt ea, quæ notarunt aduersus Stapulensem, qui malè & iniustè astruebat suo tempore Humanitatis Christi Domini Vbiquitatem. Qua audita relatione, sacra Theologiæ Facultas censuit redigenda esse, & simul compingenda esse in ordinem ea,

quæ

quæ Magistri Nostri suprà nominati, & etiam D. Syndicus hinc inde ex variis collegerant, & ab Apparitore subsignanda, ac deinde Reuerendissimis Germaniæ Prælatis, qui requisiuerunt, esse mittenda, qui etiam certiores fient, nunquam fuisse alium sensum Facultatis sacræ Parisiensis, quàm vt condemnauerit semper hæreseos opinionem Vbiquetariorum istorum. Imò ex vsu eiusdem Facultatis satis existimari & colligi posse, Censuram suam de ista opinione; quando demandauit H. M. N. Bedæ, quo tempore gerebat Syndicatum Facultatis, vt in Stapulensem Vbiquetarium, & alios omnes eiusdem sectæ scriberet, quod fecit eruditè, & id sibi à Facultate sacra impositum apertè exprimit, & prænotat paginâ 1. Commentarij sui editi in priorem Diui Pauli epistolam ad Corinth. contra Fabrum Stapulensem.

Ex libro, qui inscribitur, Annotationum Natalis Bedæ Theologi Parisiensis in Iacobum Fabrum Stapulensem, &c. impresso apud Iodocum Badium, ex dono eiusdem Natalis Bedæ, qui propria manu scripsit & subsignauit: quod sequitur initio primi folij albi ad apertionem libri, qui ferrea catenulâ nexus & adstrictus asseruatur in Bibliotheca Collegij Montis acuti Parisiensis.

Post varios cogitationum tractatus de

Dei

Dei gratiâ sperans, scribere in Iacobum Fabrum cœpi, die decima tertia Iunij, quingentesimo vigesimo quinto, & tunc dies erat sanctæ Pentecostes, omnia autem & cætera contra Erasmum finiui anno reuoluto fermè, id est, in mense Maio, quingentesimo vigesimo sexto, cùm annum ætatis meæ agerem quinquagesimum septimum. Signatum. Natalis, Beda cum Chirographo.

Post Prologum verò hæc habentur.

De consensu Facultatis Theologiæ Parisiensis super his libris emittendis testimonium.

Cùm multi dicerentur errores inueniri in Cõmentariis, quos M. Iacobus Faber in Epistolas Pauli, & in Euangelia edidit; multi etiam in Paraphrasibus, quas in Nouum Testamentũ euulgauit Erasmus Roterodamus; scripsissétque in confutationem eorum M. Natalis Beda Parisiensis studij Theologus, nonnulláque pro more iam obseruato suæ præsentasset Facultati, vt per illius deputandos visitarentur, ipsis perlectis, post factam in Facultate eâdem per deputatos ad id relationem, super his, quæ in huiusmodi Bedæ scriptis comperissent: consensit & permisit Facultas, ipsos libros imprimi, & venditioni exponi, tanquam qui vtiliter & piè possent legi, vtpote qui pleraque complecterentur ad declarationem, defen-

defensionémque veritatis,& reuincenda peruersa dogmata, non parum conducentia. Et pro libris quidem Fabri hoc determinauit ipsa Facultas decima quinta Februarij anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto, in Collegio Sorbonæ: quemadmodum ex eiusdem Facultatis decretis authenticè signatis, quę apud impressorem asseruantur, constat.

Ex Commentariis Bedæ in 1. ad Corinth. cap. 12. fol. 89. & 90. contra Stapulensem.

Mediolani siquidem vt sopitus cernebatur: in Galliis verò sollicitè, quæ funeris poscebat necessitas & impigrè exercens, & siue istud recipiatur, siue non (quod tamen nullam claudit impossibilitatem) firmum tamen stat, quod dictum est, non oportere videlicet posito per miraculum (quemadmodum in locis innumeris sacramentaliter est Christi Corpus) homine in pluribus locis, vt si ei Parisiis loquor sedenti certâ horâ, eâdem etiam illum sedentem apud Sydonem & Tyrum compellem. In quo absurdissimè Iacobus (qui hortatur, vt omnes in hoc negotio ab illusione sibi caueant) dilusus est, quod manifestè docet diuinarum perspicacissimus rerum censor Augustinus lib. de præsentia DEI ad Dardanum; monstrat namque illic, quòd nullus cogitari potest locus, vbi non sit DEVS, per

NB. Hæc omnia vsq; ad *Amen*, paulò antè in testimonio Natalis Bedæ quoque reperiuntur. Ne tamen instrumentũ hoc Academiæ Parisiẽsis mutilaretur, necesse fuit hîc repetere, & sic habet duplicem fidem.

Q Scri-

Scripturas, quales sunt: Cælum & terram ego impleo: Et in Sapientia, Spiritus Domini repleuit orbem terrarū; Item & quod Deo Dauid dicit: Quò ibo à facie tua, & quò à spiritu tuo fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; & aliæ plurimæ sunt ad hoc. At de Christo secundùm carnem priùs eloquens, sic ait: Non est putandus Christus, secundùm quod homo est, Vbique diffusus; cauendum est enim, ne ita diuinitatem asseramus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit Vbique, vt Devs. Nam & de nobis veracissima Scriptura dicit, quòd in eo viuimus, mouemur, & sumus; nec tamen sicut ille, Vbique sumus, sed aliter homo, id est, Humanitas in Deo, quoniam & aliter Devs in homine, proprio & singulari modo. En apertissimè quod præmisimus, tradit aquila Doctorum.

Cui si nondum cedit (quod tamen necessarium fuerit, aut cum pertinaciter hæreticis æternùm perire) Iacobus, audiat, quàm absurda, quàm blasphema, quámq; religioni Christianæ inopinabilia sequuntur, quod asseruit, scilicet, quòd ex quo incarnatus est Dei Filius, quia Vbique est, & nunquam ab eo separatur assumpta semel Humanitas, vbicunque ille est, necessariò & ipsa hominis (quam sibi vni-

vniuit) natura. At hoc dubio procul consequens est, vt Gabrieli paranympho, cùm primùm assensit Virgo sancta, dicens: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum, corpusculum illud (quod pro sententia Doctorum omnium, qui in matrum vteris vnquam fuerunt infantium, vt sic loquar, nimium fuit) repentè erat extra vterum; neque solùm in manibus Matris, sed & in summis cælorum, in mediis, in infimis, neque ibi modò, verùm & in inferno, in profundo maris, in ore Herodis, aliísque quamlibet vilibus locis singulis orbis. Cur hæc, si dicat mihi Iacobus, meum dicis consequi dogma, quæ nequaquam sustinent audire aures piæ; & respondemus, quoniam hæc omnia & similia sine numero stultissimè tua confessus es assertione.

Mox enim cùm dixerat sacrata Virgo, fiat mihi secundum verbum tuum, Dei Filius fuit incarnatus, qui cùm sit in cunctis, per nos hîc iam expressis locis, & aliis omnibus possibilibus, neque per te vsquam peracta incarnatione esse Verbum potest, vbi non sit caro eius: paruulus ergo fœtus ille statim conceptus, Vbique fuit.

Dicat item Iacobus in profundo inferni existens Infantulus rogósne inextinguibiles sentiebat? In mediis pelagi vndis quomodo

non cōtinuò fuit obrutus? qui iam adultus (secundùm hominem dico) siti propter itineris angebatur laborem, petens à muliere Samaritana potum, qui & quantum ad flagella & spinas, & clauos, cæteráque omnia, quæ mortali corpore læsionem inferunt, fratribus, id est, nobis omnibus assimilatus est: quomodo mox secundùm carnem conceptus insensibilis fuit? Rursum corpusculum ipsum, quod quidem dum in Matris manet vtero, de eius alimentum habet substantiâ, extra illum, hoc est, in cælo, in inferno, in mari, & vbique, vnde fouebatur? Audiat Iacobus, nusquam fuit (hoc illi astruo) assumpta Humanitas, priusquàm ex vtero nasceretur, nisi in vtero.

Nec dici debet assertiuè in pluribus simul vnquam fuisse locis secluso Sacramento, nisi hoc certis doceatur testimoniis, quod nō puto futurum: alioquin natus Christus & per Beatam pannis inuolutus eius Genitricem Iacobus dicat, nunquid in cælorum altissimis, aut infernorum infimis receptaculis existens filius paruulus Infantilia omnia illa, quæ nobiscum subire dignatus est, tolerabat? Non esset vtique finis absurdarum blasphemiarum, quæ Iacobi stultissimam sequuntur assertionem; si quis per singula sequi vellet eius incrementa vitæ mortalis, quam in hoc gessit mundo, adolescendo, prædicando, patiendo, cùm

etiam

etiam ad hoc suâ teneretur positione Faber in cælo, in inferno, & Vbique confiteri, Christum in Cruce pendentem fuisse, & alia innumera, quæ in nullius vnquam fidelis venerunt mentem. Sed neque in sepulchro per triduum erat corpus mortuum, sed Vbique, & sic ab illo nunquam potuit anima separari. Item nec potuit Christus ad infernum descendere, nec ascendere in cælum, quæ ei solùm competebant ratione carnis assumptæ.

Qui enim Vbique est localiter, minimè moueri potest.

Denique si verum Iacobus somniauit, quomodo per consecrationis verba nouiter incipit sub panis & vini speciebus Christi Corpus esse, quod nusquam deest? Sacramentaliter, inquit Iacobus, esse ipsum Corpus alicubi, modus est, Vbique verò, si modum subtrahat (fides scilicet) simpliciter absque modo est.

Hæc certè Iacobi noua phantasia, Sacramenti prorsus tollit vim & dignitatem: Nihil enim de nouo incipit præsentialiter esse, vbi nunquam defuit. Hoc tamen Iacobi dogma apud loca, vbi longam traxit moram, nonnulli etiam Idiotarum (vt audio) perniciosissimè sequentes eò peruenerunt dementiæ, vt dicerent: Ex quo (vt docet præceptor Faber) ita Christus secundùm corpus in digito

meo est, sicut sub ea panis particula, quam Sacramentum dicunt Sacerdotes, multò amplior debetur tali reuerentia Sacramento, quàm cuilibet alteri creaturæ.

Quàm pulchra igitur sit Theologia Fabri, & Scholæ eius, inde liquet, neque id obscurè; illorum & nostri sua pietate misereatur Dominus, regnúmque hoc Christianissimum clementer respiciat, excitétque eos, quibus incumbit, vt aduersus tam horrenda hæresum monstra ita bella Domini gerant, vt illis penitus oppressis fidei puritas liberè sola vigeat. Amen.

In libro, qui inscribitur de Maria Magdalena, &c. ex officina Henrici Stephani Anno 1519.

Initio paginæ 39. Faber Stapulensis in aliena persona sic loquitur. Atque ibi tunc adorasse Christi præsentiam, quandoquidem Christus Vbique præsens est. Et paulò pòst.

Et addidit, cùm esset ante sacratissimam Dominici corporis teletam, omniúmque Augustissimum maximéque venerandum Sacramentum, quod vt aiebat, vnicum, sanctúmque sanctorum est, quod in templis continetur, quódque omnia alia sanctificat, perficit, & consummat, se illic adorare Christum, Christíque præsentiam corporaliter, non autem

sic

ſic in aliis locis, nam nō ſolùm illic eſſe Chriſti præſentiam, qui Vbique eſt, ſed etiam Chriſti præſentiam corporaliter dicebat.

Ex libro, qui inſcribitur de rebus Euchariſtiæ controuerſis, &c. per Fratrem Claudium de Sainctes Epiſcopum Ebroicenſem, &c. Pariſiis, ex officina P. Chuillier, via Iacobea ſub ſigno Oliuæ Anno 1575.

Folio 142. Repetitione quarta, breuiter Vbiquitatem, ſiue Omnipræſentiam Humanitatis Chriſti nuſquam recepit, aut introduci ſuſtinuit Eccleſia Catholica, quoniam ex aſſumptione ad dexteram Patris, non à Scripturis illata ſit, ſed vt nonnullis placet, ab Albigeis Stapulenſi Fabro, Luthero & Brentio promulgata, &c.

In Regiſtro Facultatis ſacræ Theologiæ Pariſienſis.

Folio 190. extat cenſura contra librum de tribus Magdalenis, facta in aula maiore Collegij Sorbonæ die Sabbathi 9. menſis Nouembris, anno Domini 1521. Ratificata apud ſanctum Mathurinum 1. Decembris eiuſdem anni. Cuius libri auctor erat ipſe Faber Stapulenſis.

Folio 219. & ſequentibus, continentur articuli, quibus Facultas reſpondit litteris

Reginæ Matris, oblatis per Fratrem Gilbertum Nicolai Ordinis Fratrum Minorum, inter quos hi habentur.

Folio 221. recto. Item & a la cour du Parlement, par plusieurs euocations des causes cōcernantes la foy comme d'un liure composé par M. Iacques Fabri, &c. qui sont choses au iugement de toutes gens sçauans & non mal affectés, tres pernicieuses & perilleuses pour ceux, qui en sont cause, car cest par inuentions subtilles deffendre les delinquans, & nourrir les erreurs & heresies, ce qui est par l'Eglise prohibé sur peine de censures fort a craindre.

Eodē folio verso. Item & aussi a esté fait, ce qui a esté possibile pour empescher, que la dicte faculté n'examinast ledit liure de M. Iacques Fabri, qui est manifestement nourrir, pour ceux, qui en sont causes, erreur contre la foy, en ce Royaume tres chrestien.


De Mandato DD. Decani & Magistrorum præfatæ Facultatis sacræ Theologiæ Parisiensis.

Z VB Bouuot Maior Apparitor.

TE-

TESTIMONIVM NOTARII Germani, de isto Instrumento.

Præsens hoc suprascriptum exemplum cum suo vero originali auscultatum, & collationatum, eidem de verbo ad verbum concordat, Id quod ego M. Ioannes Schrall Diœceseos Augustanæ, Sacris Apostolica & Imperiali authoritatibus publicus, & in alma Romana Curia immatriculatus Notarius tunc temporis Dilingæ cômorans, hac manûs meæ propriæ, nominis, & cognominis subscriptione, atque subsignatione, paritérque signi Notariatus mei soliti appressione atteſtor. Dilingæ 29. Ianuarij anno 1631.



M. Ioannes Schrall,
Notarius qui suprà.

NOTA I. *Hoc Testimonium Facultatis Theologicæ Sorbonensis Parisiis esse tali occasione impetratum à Reuerendissimo & Illustrissimo Domino Henrico Episcopo Augustano, tum suo, tum alio-*

rum Episcoporum nomine, quòd in Germania Vbiquistæ Anno 1626. Catholicis obiicerent, eos hodiernam suam sententiam de negata Vbiquitate Humanitatis Christi, primùm post annum 1530. circa annum 1550. assumpsisse cum Caluinistis; prioribus enim sæculis ipsos Catholicos semper hanc Omnipræsentiam Humanitatis Christi asseuerasse & defendisse: sicut defendunt Lutherani, & in probationem adducunt testimonium Iacobi Fabri Stapulensis, qui anno 1525. iam Vbiquitatis sectator fuerit. Igitur vt in veritatis notitiam deueniret, petiit dictus Illustrissimus Dn. Episcopus per medias personas, vt prædicta laudabilis Facultas Parisiensis veritati Testimonium dare dignaretur: quod fecit, quemadmodum hîc est expressum. Originale adhuc habeo ad manum, quod quocunque tempore potest exhiberi. Acta sunt hæc Anno 1630. vt suprà.

NOTA II. *Hunc Iacobum Fabrum Stapulensem, errorem Vbiquisticum tempestiuè, & circa initia Lutheri defendere incepisse, & Lutheranismum in Gallia cum tribus sociis, Guilielmo Farello, Arnoldo, & Gerardo Rufi in Meldorum Ciuitate, non ita procul à Lutetia distante, disseminare & propagare conatum esse; vti testatur Florimundus Remondus de ortu, progressu & ruina hæreseon, lib. 7. c. 3. quamuis noluerit videri à Catholica Ecclesia discessisse; nihilominus noua dogmata sparsit, & interim modò hunc, modò illum*

arti-

articulum fidei, cuniculis, & aperto Marte per Scripturam malè detortam impugnauit: vt erat cultus B. Virginis, & Sanctorum, quos errores fortè ex Albigensium scriptis hausit; vbi autem innotuerunt Magistratui, maturè inde in fugam se coniecerunt. Ex quo euidens est, Ægidium Hunnium in lib. de persona Christi fol. 404. & Andream Keslerum contra Bellum Vbiquisticum fol. 511. grauiter errasse, cùm scribunt istum Fabrum Stapulensem Catholicum, & non Hæreticū fuisse: Fuit autem Catholicus tantùm nomine, & non re: & diu est defensus fauore & patrocinio Margaritæ Sororis Francisci Franciæ Regis, & Coniugis Henrici Nauarrhæ Regis: quæ ab istis quatuor uiris, etiam per auia fidei est satis diu seducta, donec tandem ad Catholicam Ecclesiam rediret; vt scribit dictus Florimundus.

TESTIMONIVM CHRYSANTHI Lascaris Archiepiscopi Lacedæmoniorum. An. Chr. 1631.

GRæci de Diuinitate Filij dicunt esse præsentem Vbique, quod idem fatentur & de Spiritu Sancto, & multò magis de Patre, à quo reliquæ personæ habent Diuinitatem. Vnde de Christo scribunt, & canunt: ἐν τάφῳ σωματικῶς, ἐν ᾅδου δὲ μετὰ ψυχῆς, ὡς θεὸς, ἐν παραδείσῳ δὲ μετὰ λῃστοῦ, καὶ ἐν θρό-

νῳ ὑπῆρχες Χριστὲ μετὰ πατρὸς καὶ πνεύματος, πάντα πληρῶν ὁ ἀπερίγραπτος. hoc est, in sepulchro corporaliter, in inferno cum anima, in Paradiso cum Latrone, & in throno eras Christe vt Deus vnà cum Patre, & Spiritu, omnia implens, qui es incircumscriptus.

Et in alio Cantico de Spiritu Sancto sic enuntiant: Βασιλεῦ οὐράνιε παράκλητε, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁ πανταχοῦ παρὼν, καὶ τὰ πάντα πληρῶν, ὁ θησαυρὸς τῶν ἀγαθῶν, καὶ ζωῆς χορηγὸς ἐλθὲ καὶ σκήνωσον ἐν ἡμῖν, καὶ καθάρισον ἡμᾶς ἀπὸ πάσης κηλῖδος, καὶ σῶσον ἀγαθὲ τὰς ψυχὰς ἡμῶν. Hoc est: Rex cælestis Paraclete Spiritus veritatis, qui Vbique es præsens, & omnia reples, thesaurus omnium bonorum, & vitæ largitor, veni, & inhabita in nobis, & purga nos ab omni inquinamento, & salua animas nostras, tu, qui es bonus.

Ἡ ἀνατολικὴ τοῦ χριστοῦ ἐκκλησία ἀπὸ τῶν ἀποστολικῶν χρόνων ἕως τὴν σήμερον περὶ ταύτης τῆς ὑποθέσεως. ὀρθοδόξως παρέδωκε καὶ ἐπίστευσε, τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν κατὰ τὴν θεότητα εἶναι ἐν πᾶσι τοῖς κλίσμασιν ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ πανταχοῦ παρόντα: κατὰ δὲ τὴν ἀνθρωπότητα μήτε ἐν τόπῳ, τουτέστι περιγεγραμμένως, εἴτε κατὰ τὴν ποσότητα μήτε

μὴν


μίαν ἐν τόπῳ τινὶ ὁρισμένως γεγονέναι ποτὲ, ἢ καὶ τὰ νῦν εἶναι πανταχοῦ. ἀναστὰς γὰρ ἐκ τῶν νεκρῶν τὸ ἱερὸν αὐτοῦ σῶμα ἀληθῶς καὶ κυρίως ἐπάνω τῶν οὐρανῶν ἀνεβίβασεν, ὥστε ἐκεῖνο ἤδη ἐν τῇ γῇ ἔτι μὴ εἶναι, εἰ μὴ τρόπῳ τινὶ καὶ μυστικῷ ἐν τῷ σεβασμίῳ μυστηρίῳ τῆς εὐχαριστίας. ἐκ τούτου δὲ ὅμως οὐδεμία προσωπικὴ τῆς ἑνώσεως διάλυσις ἕπεται, ἢ χωρισμὸς τῶν φύσεων. καθὼς οὐ δυνατόν τις εἰπεῖν, ὁ πούς κεχωρισμένος ἐστὶ τῆς ψυχῆς· εἰ καὶ ἡ ψυχὴ ἔν τινι τόπῳ ἄλλῳ ἐστὶ, δηλονότι ἐν τῇ κεφαλῇ, ὅπου ὁ πούς οὐκ ἔστιν. Ἔτι, ἀνήκοον ἐστὶν ἐν τῇ δραϊκῶν ἐκκλησίᾳ λέγειν τὸ καθῆσθαι τὸν Χριστὸν ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, εἶναι παρόντα πανταχοῦ τὸν Χριστὸν κατὰ τὸ σῶμα. οὐ γὰρ παντοπαρουσίαν τῆς ἀνθρωπότητος τοῦ Χριστοῦ, ἀλλ' ἰσοτιμίαν σημαίνει. ὅθεν οἱ τοῦ ἀποστολικοῦ συμβόλου τοῦτο τὸ ἄρθρον περὶ τῆς παντοπαρουσίας ἐξηγούμενοι, παρεξηγοῦνται τὸ σύμβολον, καὶ τὴν ἀρχαιότητα τῆς ὀρθοδοξίας ἀτιμάζουσιν.

Οὕτως ἰδιοχείρως ὑπέγραψα, καὶ τῷ ἀρχιεπισκοπικῷ δακτυλίῳ σημήνας μαρτύρομαι καὶ σαφῶς βεβαιῶ καὶ διϊσχυρίζομαι. Νοεμβρίου εἰκάδι, ἔτους α, χ', λά.

Loca-

Localiter τοπικῶς, illocaliter μὴ τοπικῶς. Vbique esse præsens πανταχοῦ εἶναι παρὼν, vel non Vbique, ἢ μὴ πανταχοῦ.

Χρύσανθος Λάσκαρις ἀρχιεπίσκοπος Λακεδαιμονίων.



L. S.

Græci Scripti Archiepiscopi Lacedæmoniorum, contra Vbiquitatem humanæ Naturæ in Christo, Interpretatio Latina.

ORientalis Christi Ecclesia ab Apostolicis temporibus vsque in hodiernum diem de hoc argumento rectè sentiendo tradidit, credidítque Dominum nostrum IESVM Christum secundùm Deitatem esse in omnibus creaturis in cælo & in terrâ Vbique præsentem; secundùm verò Humanitatem neque in loco, id est, circumscriptiuè, siue secundùm quan-

quantitatem, neque vero in loco, id est, definitiuè fuisse vnquam, aut etiam nunc esse Vbique. Nam cùm resurrexisset è mortuis, sacrum suum corpus verè & propriè supra cælos euexit, ita vt illud iam in terra amplius haud sit, nisi modo quodam, & mystico in venerabili mysterio Eucharistiæ. Ex hoc tamen nulla personalis dissolutio vnionis sequitur, aut separatio Naturarum. Quemadmodum non potest quis dicere: Pes ab animâ separatus est, tametsi anima in alio quopiam loco sit, videlicet in capite, vbi pes non est. Ad hæc inauditum est in Græcorum Ecclesia dicere, illud sedere Christum ad dexteram Patris, esse præsentem Vbique Christum secundùm Corpus. Non enim Omnipræsentiam Humanitatis Christi, sed dignitatis paritatem significat. Vnde qui hunc Apostolici Symboli articulum de Omnipræsentiâ explicant, perperàm Symbolum explicant, & Antiquitatem rectè sentientis Ecclesiæ ignominiâ afficiunt. Sic propriâ manu subscripsi, & Archi-Episcopali annulo subsignatum testor, & sanctè confirmo, atque stabilio. Nouembris die vigesimo Anno 1631.

******

***

TESTI-

TESTIMONIVM STEPHANI GERlachij Vbiquistæ Wirtenbergici, ex Epistola illius scripta Constantinopoli 4. Augusti Anno 1576.

VLtimo Maij (inquit) in Festo Ascensionis Christi Constantinopoli in templo S. Georgij (olim Græcis Monasterium Studij dicto,) sacra Armeniorum ibi habitantium spectaui. Omnia clarâ voce agebantur ; sed lingua non omnibus Armeniis æquè intelligibili (quemadmodum & tota Biblia conuersa habent) sed idiomate doctioribus tantùm noto. Attamen oratio Dominica, Symbolū, Decalogus, verba Baptismi, & Cœnæ, vulgò etiam notissima sunt. Codici sacro (sicut & Græci) summum honorem habent ; osculando accipientes & deponentes. In Missa pedetentim cum magna reuerentia, in sonitu tintinnabulorum mirabili ELEVANT ; & vt posteriùs calicem cum pane consecrato. Inter ELEVANDVM populus pectus pulsat, Cruce se signat, térque osculatur terram ; à qua humilitate ne Patriarcha quidem ipsorum (sic eum appellant) alienus est : quam etiam ter aut quater intra Missæ celebrationem exhibent. Post eleuationem alius alium osculo S. salutat. Nobis autem manus osculati sunt. Psalmodia in laudem Ascensionis plurima.

Post

Post Missam Patriarcha placentas aliquot in frusta diuidit: singulíque ordine accedentes librum sacrum, manûmque Patriarchæ osculantes, frustulum accipiunt. Qui vult, eleemosynam, loco ἀντιδώρου, imponit. Finitis sacris omnibus, (ipse linguæ Arabicæ & Turcicæ peritissimus, in respondendo grauis, promptus & dextertimus) duxit nos domum suam, templo contiguam; structuræ tapetúmque ornatu, & quia Propontidem (nunquam omnis generis nauigiis vacantem) longè latéque in prospectu habet, amœnissimam. Cúmque more Orientalium implicatis cruribus nos humi desidere non possemus, in puluinaribus de serico villoso posuerunt, ac vino generoso honorarunt. Tunc ego veniam præfatus de præcipuis religionis nostræ articulis ipsos rogare cœpi, cognitutus an ita hæretici essent, sicut à Græcis dicuntur. Patriarcha per interpretem confessus est, se credere & confiteri vnum DEVM, & tres personas coæternas, & consubstantiales, per omnia æquales. Christum verum vnigenitum & æternum Filium esse DEI, per quem Pater omnia condiderit; & in tempore ex MARIA hominem factum, vt vnicus noster Mediator & Saluator esse posset. Spiritum Sanctum ex Patre Filióque procedere contra Græcos. *De Maiestate* (NB. id est, de Vbiquitate) *Christi* Ho-

minis, expreſsè reſpondit: Chriſtum non tantùm ſecundùm diuinam naturam, ſed etiã humanam nobis iam in nomine eius congregatis, & de gloria eius differentibus (vt & toti Eccleſiæ ſuæ in orbe terrarum diſperſæ, ſingulíſque membris) præſentem eſſe: Addens hanc ſimilitudinem: Quemadmodum ferrum candens per omnes partes particeps ignis eſt, & propter ignem candet, vrítque; nec alius calor eſt ignis, & alius ferri; ſed quo ignis, eodem & ferrum, cum igne vnitum quiddam vrit; ita Chriſtus, DEVS & Homo, vnica perſona eſt; & Chriſtus homo, ſiue humana Chriſti natura, propter diuinam corporaliter in illa habitantem, omnipotens, omniſapiens, & omnipræſens eſt: nec alia eſt omnipotentia, omniſapientia, omnipræſentia Diuinitatis, & alia Humanitatis, ſed vnica; quemadmodum ferrum & ignis vnâ & eâdem virtute vrunt. Hícque ſuam virtutem illi per vnionem communicat. Nec pars tantùm, ſed totum Verbum incarnatum eſt: vt nullibi ſine ſua carne (in qua tanquam in proprio domicilio habitat) eſſe velit, &c.

NOTÆ.

I. *Iſta Gerlachius de Armeniorum Patriarcha, qui tunc, quando ipſe cum Legato Cæſareo Conſtantinopoli fuit, ibidem quoque reſidebat; in quo non parùm ſibi placere videtur, quòd de Maieſta-*

[...]state Christi ita expreſsè, *ad Stomachum ſuum Vbiquiſticum, reſponderit Patriarcha, & tam pulchrè cum VVirtenbergicis Vbiquiſtis conſpirauerit, in quo non animaduertit,*

Armenios dudum, & Græcorum & Latinorum iudicio, pro vera aliqua Secta Eutychianorum & Iacobitarum in hac doctrina haberi: ex quo conſequens eſt, etiam Vbiquiſtas noſtros, qui prorſus eadem docent, & credunt, ad Claſſem Eutychianorum pertinere. Certè Nicephorus Calliſtus Hiſtoria Eccleſiaſt. lib. 18. c. 53. & 54. Eutychianis & Iacobitis apertè adnumerat Armenos; vt & Dauid Chytræus in Oratione Roſtochij habita, anno 1569. de Statu Eccleſiarum ſui temporis in Græcia, Aſia, &c. quæ anno 1583. Francofurti eſt impreſſa: item Eduardus Berevvodus Anglus, Libro Inueſtigationum de diuerſis linguis ac religionibus, Londini anno 1622. & Dionyſius Petauius Tomo 4. lib. 1. cap. 17. n. 6. & Ioannes Forbeſius Scotus in Inſtructionibus Hiſtorico-Theologicis lib. 2. cap. 9. & lib. 3. cap. 17. Quis igitur dubitet, Vbiquiſtas noſtros eſſe Eutychianos, quandoquidem & illi dicunt, Naturam humanam Chriſti prorſus eâdem, & non aliâ omnipotentiâ, omniſapientiâ, & omnipræſentiâ eſſe omnipotentem, omni ſapientẽ, & omnipræſentem, *quàm quâ eſt Diuinitas: Quo pacto reuerà etiam ipſa humana natura afficitur ipſiſmet diuinis & increatis proprietatibus, ex quo infallibi-*

liter sequitur, humanam naturam diuinizari, & in diuinam transmutari, quod est verissimus Eutychianismus. Sicuti enim in omnibus aliis rebus ex proprietatibus naturas cognoscimus, ita vt quæ easdem habent proprietates, easdem quoque habeant naturas, sic si humana natura Christi prorsus easdem numero habet proprietates, quas habet diuina, necessariò etiam ipsa facta est vera diuinitas. Intelligo, si ita habeat, vt eam immediatè & intrinsecè per modum formæ illa afficiant: quia dici requirit inesse; *aliàs quomodo natura humana in abstracto potest* omnipotens, omnisapiens, *&* omnipræsens *denominari? quod tamen fit ab Vbiquistis. Neque dicant 1. naturam humanam has proprietates non habere à se, sed à Verbo communicatas: quia etiam Verbum non habet naturam diuinam, ac proprietates à se, sed à Patre communicatam, & tamen est DEVS. Neque dicant 2. satis esse, quòd Humanitas immediatè sit vnita personæ diuinæ; naturæ autem diuinæ tantùm mediatè. Sic enim in concreto quidem potest dici, Christus homo est omnipotens, omnipræsens: sed non potest dici, Humanitas Christi est omnipræsens, & omnipotens.*

II. *Etiam ex epistola eadem notetur, apud Armenos neq; Sacra fieri, neq; Biblia haberi, communi ex omnibus æquè intelligibili linguâ, sed idiomate doctioribus tantùm noto, ipso Gerlachio teste,*

ste, quod tamen tantopere carpunt Acatholici in Catholicis.

III. *Ritum adorandi Eucharistiam in sacrificio Missæ sub eleuatione, apud ipsos Armenos quoque esse vsitatum, vt & ipsam Missam, quem ritum non à Latinis didicerunt demùm posterioribus annis, vt Lutherani fabulantur, sed dudum & ante mille annos, & amplius iam habuerunt. Vnde patet, eos calumniari, cùm dicunt, Missam esse inuentum Pontificum Romanorum, & Cleri Catholici ad lucrum pecuniarium aucupandum.*

IV. *Armenos quoq; à Græcis pro hæreticis haberi, testante id Gerlachio; qui Græci ab Vbiquitatis errore sunt alieni, vt ex testimonio quoque Chrysanthi Archiepiscopi Lacedæmoniorum cognouimus.*

V. *Similitudinem de ferro ignito nullo modo patrocinari sententiæ Vbiquistarum, vt optimè a quinque paginis demonstrat Ioannes Busæus in Apologetico Disputationis de Persona Christi contra hunc Gerlachium Vbiquistam, Moguntiæ anno 1609. cap. 6. Thesi 80. mendacio 129. 130. 131. Ratio est 1. Quia ignis non naturam suam realiter, sed calorem tantùm communicat ferro. Si enim communicaret naturam, communicaret & proprietates suas, quæ ab igne diuelli nequeunt, vt lenitatem, subtilitatem, raritatem. 2. Ignis non proprium, suaq; naturæ inhærentem ferro calo-*

rem communicat, sed alium vi sua calorem in ferro producit, quo ferrum, non ignis intrinsecè & formaliter est calidum. At Vbiquistæ volunt, ipsam Diuinitatis naturam, eiúsque proprietates in Humanitatem Christi realiter immeasse, ita vt Humanitas sit omnipotens, omniprasens, eâdem numero & omnipotentiâ & omnipræsentiâ, quâ Filius DEI, imò Tota Trinitas omnipotens & omnipræsens est; Igitur hac similitudine suam sententiam neutiquam corroborant: quia simile est prorsus dissimile.

TESTIMONIVM SAXONICORVM & Hassiacorum Vbiquistarum ex Kenosigraphia Iusti Feürbornij, Theol. D. & Professoris Hassiaci Lutherani, fol. 143. Francofurti in 4. anno 1627.

Accusantur Schvvenckfeldianismi, VVirtenbergici Theologi, nominatim Theodorus Thummius & socij, in doctrina de Omnipræsentia Humanitatis Christi; cuius erroris prius Thummius accusauerat Hassiacos & Saxonicos.

SChvvenkfeldianum est, inquit Thummius pag. 20. Christum quidem nunc in statu plenariæ & gloriosæ superexaltationis, siue manifestæ inthronisationis, omnibus creaturis

turis in cælo & in terra præsentem esse; aliam verò rationem esse status humiliationis, siue visibilis conuersationis in terra: ibi enim MVLTIS, at non OMNIBVS adfuisse. Idem Mentzerus in Def. pag. 74. thes. 18. docet.

Respondet Feürbornius. I. Notet Lector, quòd Thummius post editam Dn. Saxonicorum Decisionem & Apologiam, nos sic accusarit, vt per nostra latera Dn. Saxonicos, examussim nobiscum consentientes, quibus aliò modo iam nequit ægrè facere, punctos Schvvenckfeldianismi argueret reos. Taceo iam veteres Dn. Wirtenbergicos Theologos, quibus in Christo IESV placidè quiescentibus, eadem hæc macula à Thummio aspergitur: quippe etiam exactè nobiscum consentientibus.

II. Dn. D. Mentzerus l. c. sic scripsit: Vbi vbi Christus fuit, aut est, à facta incarnatione, ibi est θεάνθρωπος Deus & homo in vnitate personæ. Nullibi est, vel cogitari potest Filius DEI incarnatus, vbi non sit Filius hominis, propter personæ identitatē. Hæc sincera nostra fides est, & Confessio: & Caluinianorum τὸ *extra* damnamus toto pectore. Cæterùm aliud est loqui de diuinâ præsentiâ Christi, vt hominis, apud creaturas, quæ dependet ex communicatâ Christo, vt homini, maiestate

omnipræsentiæ, quam semper quidem habuit, etiam in exinanitione, sed non semper vsurpauit. Verùm liberè, quando, vbi, & quomodo voluit. Sic verè adfuit discipulis suis in Iudæam emissis ad prædicandum Euangelium, eiúsque veritatem per miracula confirmandam, Matthæi 10. Sic adfuit Domino asinæ & pulli, cuius flectebat animum, vt eos sponte dimitteret, Matthæi 21. v. 2. Sic Christus in terris loquens Nicodemo dicit, Filium hominis esse in cælo, Ioan. 3. v. 13. nempe per identitatem personæ, & per participatam carni Deitatem. Hanc igitur liberam & particularem maiestatis omnipræsentiæ, & omniscientiæ, & omnipotentiæ vsurpationem Christo, vt homini, in statu exinanitionis attribuimus: eámque distinguimus ab vsurpatione eiusdem vniuersali & plenariâ in throno Maiestatis, cum Libro Concordiæ & S. Scripturis diuinis. Hactenus Dn. D. Mentzerus, quibus si Schvvenckfeldianismum alit, tum iste & ipsi S. Scripturæ, & Libro Concordiæ, eiusdémque Apologiæ, & veteribus Dn. Wirtenbergicis, & cunctis Orthodoxis Lutheranis, vtpote nobiscum concordantibus, imputandus erit.

Schvvëckfeldianismi Descriptio ex Chemnitio.

III. Dn. D. Chemnitius lib. de duabus in Christo naturis, cap. 22. pag. 139. 140. sic describit Schvvenckfeldianismum: Nostris etiã tem.

temporibus Schvvenckfeldius per multos annos sparsis variis chartis, veteres illos antiquitus damnatos errores renouauit, quos nostri anno 1540. in Conuentu Schmalkaldico, publicè reiecerunt, Humanam scilicet naturam in Christo, in gloriâ iam, non ampliùs esse creaturam: omnia enim quæcunque legit in Scripturâ Christo tribui, non personæ, sed vtrique naturæ simul, & ex æquo tribuit. Ita dicit Christum passum & mortuum esse secundùm vtramque naturam, tàm diuinam, quàm humanam. Et substantiam quidem humanæ naturæ non absorbet, aut abolet cum Eutyche, sed docet illam manere in Christo; concedit etiam (Notet, quæso, hoc Lector) tempore exinanitionis non fuisse æqualitatem naturarum & conditionum, sed humanam minorem fuisse diuinâ: sed post glorificationem, siue iam in gloriâ propter dicta de Exaltatione humanæ naturæ, contendit & essentiam, & idiomata diuinitatis vtrique naturæ esse communia. Atque ita Christum etiam secundùm humanitatem, esse vnigenitum Filium DEI, consubstantialem & æqualem Patri. *Humanitatem enim Christi per gloriam peruenisse ad perfectam æqualitatem & vnitatem essentiæ & Maiestatis Diuinitatis.*

Atq; ita etiam ipsam humanitatem Christi, quasi partem esse essentiæ ipsius Trinitatis, in quâ

nihil est maius & minus. Et ita exponit Athanasij sententiam: Hominem assumptum & exaltatum esse in DEVM, quod scilicet omnia idiomata, omnis maiestas & operatio diuina, quæ Verbo naturâ conueniunt, iam per glorificationem communia sint, etiam humanitati, vt ipsius etiam, in se & secundùm se propria sint. Carnem enim Christi, maiestate, gloriâ & potentiâ prorsus & per omnia æqualem esse Verbo. Nullam igitur iam in gloriâ esse diuersitatem, aut inæqualitatem naturarum in Christo, nisi quòd diuinitas illa habeat naturaliter, humanitas verò ea à diuinitate acceperit. Sed & Filius secundùm Diuinitatem non à se, sed à Patre habet omnia, quæ Pater habet, & tamen æqualis & consubstantialis est Patri. Ac breuiter, talem Schvvenckfeldius fingit naturarum adæquationem, vt Humanitas Christi in gloriâ in se & secundùm se, prorsus & per omnia æqualis sit conditionis, status, census, æstimationis, virtutis, potestatis, maiestatis, in vno gradu gloriæ cum ipsa Diuinitate seu Trinitate.

Hactenus D. Chemnitius, ex quo patet, nostram & Schvvenckfeldij opinionem δὶς διὰ πασῶν distare.

Quod vt euidentiùs liqueat, citabo ex libro 10. Catalogi Hæreticorum D. Schlüsselburgij effata Schvvenckfeldij: Homo IESVS

Christus naturâ humanâ suâ indeletâ per suã glorificationem, & Diuinam primogenituram ex mortuis, essentiâ, vitâ, regno, dignitate & potentiâ, in & cum DEO, omne hoc quod DEVS est, factus est, in Confess. Fidei. D. Schlüsselburg. pag. 214. Humana natura in Christo, in gloria eiusdem essentiæ & virtutis est cum ipso DEO. Et, Caro assumpta in Christo euacuata & abolita, sed meliorata & facta id, quod DEVS est, in Confess. mag. 2. part. D. Schlüsselburg. pag. 215 cum quâ confer pag. 112. 115. 153. 216. 217. 218 & seqq. & plenius cernes, nobis cum Schvvenckfeldio nihil esse commune.

IV. Schvvenckfeldius haud constanter docet, Christum, vt homo est, iam quidem in statu exaltationis omnibus creaturis in cælo & in terrâ præsentem esse: in statu verò humiliationis multis probat non omnibus adfuisse. Ipse in Apol. ad Principem Lignicensem scripsit: Christus iuxta suam naturam non est Vbique, sed in vno loco: vide Catalog. hæreticor. D. Schlüsselburg. lib. 10. pag. 222. Item ibidem: Christus tantùm in cælo quærendus & inuocandus est. Et, IESVS Christus, DEVS & homo, peractâ suâ dispensatione, NVSPIAM est, quàm in cælo, Ioan. 3.6.13. 17. D. Schlüsselburg. pag. 221. 222. Et in Confess. mag. 3. part. Vbique esse ait, non signifi-

Schvvěckfeldij inconstantia.

gnificare, in omnibus locis esse, sed omnia tempora, loca, creaturas nosse & videre, D. Schlüsselburg. pag. 222.

Nec credidit, sed negauit, Corpus & sanguinem Christi in terris, vbi S. Cœna celebratur esse præsentem, sicut liquet ex ipsius testimoniis, quæ apud D. Schlüsselburg leguntur pag. 241. 242. 243. 244. Huc accedit, quòd indistanter duarum Christi naturarum vnionem non crediderit, sed ita scripserit: Diuina natura in Christo fuit simul in homine Christo & EXTRA Christum vbique, in 1. Apol. ad Princip. Lignic. D. Schlüsselburg. pag. 214.

V. Vt verò Thummium cum suis, quos in suam opinionem pellexit, nondum pronuntio esse περιφερικῶς reum Schvvenckfeldianismi (Σκιαγ. pag. 72.) ita non possum intermittere, quin moneam eum, vt ne talia ferat, quibus fructificantibus, nequeat sufficienter Schvvenckfeldianismum refellere. Cui meæ æquissimæ monitioni vt æquior fit, citabo pauca.

Schvvěck-feldius. I. Schvvenckfeldius scripsit: Humanitatem Christi post Ascensionem factam esse Diuinitatem, in Confess. & de Verbo. teste D. Schlüsselb. pag. 250. Hoc quidem Thum. non eodem, quo Schvvenckfeld. dicit, se asserere sensu, vtpote reprobantem σύγχυσιν Euty-

chia-

chianam in Ταπ.p.641. Interim ἀπηχεαφῶν, tales phraſes vſurpat, pro quibus Schvvenckfeldiana cohors ipſi ingentes aget gratias. De Maieſtate Chriſti pag. 227. ait: *Humana natura vel Humanitas in Scripturis* (vbi quæſo te?) *rectè dicitur Deus & Deitas.* In Repet.pag.37. inquit: *λόγος vicißim, ſeu diuina Filij Dei natura, non erit caro aſſumpta: id quod ἀθεόλογον, καὶ ἀσεβές.* Thummij phraſes Schvvenckfeldianæ & Eutychianæ.

Pag. 278. *Humanitas, ſeruatâ eſſentiâ, proprietatibúſque illæſis, verè dicitur diuina, ſiue Deus perſonaliter.* Pag. 280. Caro ſiue humana natura Chriſti veriſſimè perſonaliter diuina, ſiue Deus facta eſſe dicitur. Pag. 405. taxat eos, qui nolunt concedere, quòd *Humanitas ſit Deitas*, vel *Deitas Humanitas* per vnionem hypoſtaticam.

Pag. 479. Deitas ſuo modo, vnione videlicet perſonali, & κοινωνίᾳ reali eſt Homo, ita vt rectè dicam: Deitas (vnione & communione perſonali) eſt homo, vel caro, vel humanitas, aut humana natura aſſumpta. Pag. 480. λόγος aſſumens eſt Humanitas, vel λόγος aſſumens eſt Caro, ſeu natura humana aſſumpta, & Caro aſſumpta eſt λόγος aſſumens, vel ſecunda Trinitatis perſona.

Pag. 518. *Deitas τοῦ λόγου* (vnione & κοι-

γωνίᾳ personali reali) *est assumpta Humanitas, & assumpta Humanitas est Deitas* τοῦ λόγου.

Pag. 537. scribit: Humanitatem esse Deitatem, & Deitatem esse Humanitatem, non quidem confusione aliquâ Eutychianâ, aut exæquatione Schvvenckfeldianâ, sed vnione reali, κοινωνίᾳ intima & περιχωρήσει profundissima.

Hactenus Thum. qui si verè Schvvenckfeldij errores prorsus reiicit, cur imitatur erroneam eius linguam? Cur non studiosiùs id præstat, quod ipse laudat ταπ. pag 866. ex Hieron. & Thomâ: verbis inordinariè prolatis incurritur hæresis. Vnde cum hæreticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori fauere videamur.

Nota. Non Natura diuinà assumpsit Humanitatem, sed persona Verbi.

Cur non obseruat diuini Verbi fundamentum, quod Nostrates Theologi frequenter vrgent? nempe, quòd non Deitas in suæ naturæ vnitatem, sed ὁ λόγος in suæ personæ vnitatem assumpserit Humanitatem (*nam non Deitas, sed ὁ λόγος factus est Caro*, Ioan. 1. v. 14.) Hinc neque Deitas, sed Deus ὁ λόγος, est & dicitur Caro, id est, homo per Hebraismum: Item quòd Humanitas non dicatur *immediatè propria ipsius Deitatis*. Sed Dei τοῦ λόγου propria Humanitas, proprium corpus,

pus, & proprius sanguis, Act. 20. v. 28. Matth. 26. v. 26. 28. Heb. 9. v. 12. & 10. v. 19. & 13. v. 12. & Apoc. 5. v. 9. Hinc neque Humanitas est, & dicitur Deitas, sed DEI τοῦ λόγου Humanitas: & Homo est & dicitur DEVS ὁ λόγος absque omnibus glossis humanæ σοφίας aduersus cognitionem DEI sese extollentis. Quid si Humanitas per vnionem personalem facta est DEVS, & est ac dicitur ipsa Deitas; tum & propter eandem vnionem est, & erit dicenda immensitas, infinitas, æternitas, incorporeúsque & increatus spiritus, &c. (Quod absit) Nam DEVS & Deitas est ipsa immensitas, infinitas, æternitas, incorporeúsque & increatus spiritus. Notetur hoc argumentum.

Quin potiùs cum Dn. D. Schlüsselburg. p. m. lib. 10. Catal. pag. 447. 459. 466. iuuat, imò fas est dicere: Diuinitas Filij DEI non facta est Humanitas; neque Humanitas in Christo vnquam fiet eius Diuinitas. Item; Rectè quidem dicitur; Homo est DEVS, & DEVS est Homo, sed non rectè dicitur: Natura diuina est natura humana, aut natura humana, est natura diuina, seu Humanitas est Diuinitas. Quia non est facta, nec fiet vnquam talis permutatio.

Quod quia Thum. nondum vel nequit, vel non vult dextrè capere, hinc ostendam

ipsi

ipsi fundamenta, cur non debeamus dicere: quòd Deitas sit Humanitas, & Humanitas sit Deitas, per & propter vnionem personalem.

1. Quia tales loquendi formulæ sunt ἄγραφοι,

Feürbornij argumenta, Quare dici non possit Deitas est Humanitas; & Humanitas est Deitas, in abstracto.

2. Sunt ἀντίγραφοι.

3. Vnio κατὰ σύνδυασμὸν, non gignit propositiones tales abstractiuas. Vnio hypostatica est vnio κατὰ σύνδυασμὸν (& quidem singulariter mirabilem; & mirabiliter singularem) Et maior probatur. Nam inter animam & corpus; ignémque & ferrum est vnio συνδυαστική. Hinc non dico: Anima est corpus, & corpus est anima. Item: ignis est ferrum, & ferrum est ignis.

4. Si non dicere licet: Humanitas est Devs: tum multò minùs dici potest: Humanitas est Deitas; prout constat. At prius est, sicut præter Electorales Dn. Theologos in Apolog. Form. Concord. cap. 3. pag. 53. vel Dn. D. Hesselbeinius in Antidoto 2. pag. 45. &c. & Antidoto 5. p. 83. 84. & ante eum Dn. Schröderus contra Grab. pag. 401. &c. & Dn. D. Hutterus in Sadeel. Elench. & passim demonstrarunt.

NB.

5. Propositiones personales imitantur naturam vnionis personalis, eíque conformes sunt. *At vnio non facta est ad vnam naturam,*

turam, (sic enim vel confusio, vel abolitio facta esset) *sed ad vnam personam*, fatente ipso Thummio de Maiestate Christi. pag. 31. Quare non possum dicere: Deitas est Humanitas, (secùs Deitas versa esset in Humanitatem) vel Humanitas est Deitas; secùs itidem vna natura in alteram conuersa, vel alterutra earum abolita esset.

6. Ingens ac toto genere differens est, & manet discrimen inter Diuinam & Humanam Christi naturam, inquit rectè D. Chemnit. lib. de duabus in Christo naturis, cap. 23. pag. 151. At hoc discrimen exspirauit, si verè dicere possum: Deitas est Humanitas: Et Humanitas est Deitas. Qui enim dicit: Deitas non est Humanitas, ille non describit personæ vnitatem, sed differentiam naturarum, in quâ fundata est ista negatio axiomatica. Nam qualis est modus essendi, talis & est modus prædicandi.

7. Si propter περιχώρησιν personalem dicere possum: Deitas est Humanitas, & Humanitas est Deitas; tum & propter περιχώρησιν essentialem (quippe quæ non minor est immeatione hypostatica) rectè dicere possum: Pater est Filius: & Filius est Pater: Item, Pater, (vel etiam Filius) est Spiritus S. (tertia diuina persona) & Spiritus S. est Pater

S (prima

(prima diuina persona) vel etiam est Filius? Non hoc. E. Quemadmodum igitur in articulo S. Trinitatis ob reale discrimen personarum diuinarum, non dici licet: Pater est Filius: & Filius est Pater: Pater vel Filius, est Spiritus sanctus, & Spiritus sanctus est Pater, vel Filius: Ita quoque in articulo de Christo, ob reale discrimen naturarum, dici fas non est: Deitas est Humanitas: & Humanitas est Deitas: tametsi propter vnionem & communionem personalem Filius DEI sit Filius Hominis.

Confer Dn. D. Gerhard. in Exeg. Tom. 1. pag. 1293. 8. A. B. Patribus, Athanasio, Cyrillo, & Damasceno, Caro à τῷ λόγῳ assumpta dicitur θεωθεῖσα, λογωθεῖσα, καὶ ἰσωθεῖσα. Quibus insignibus phrasibus, quasi indice digito, ij ostenderunt, se odisse istas abstractiuas loquendi formulas: Deitas est Humanitas, & Humanitas est Deitas. Hoc 1.

Schvvenck-feldius. II. Schvvenckfeldius scripsit epist. 59. Caro secundùm suam humanam naturam est illud ipsum, quod DEVS, quod diuina essentia & natura est, D. Schlüsselb. pag. 215. Item in magn. Conf. 1. part. Homo IESVS Christus, non deletâ humanâ naturâ, essentiâ, vitâ, dignitate, potentiâ, per glorificationem factus est omnia, quæ DEVS est, ita vt nunc nulla sit

inæqua-

inæqualitas naturarum in perſona Chriſti, D. Schlüſſelb. pag. 219. Item in Confeſſ. magnâ: Caro Chriſti eſt omne id, quod DEVS eſt, D. Schlüſſelb. pag. 220.

Hunc Schvvenckfeldianiſmum Thummius cum ſuis quidem dicit, ſe execrari: nihilominus tamen hæ periculoſæ phraſes in ipſorum ſcriptis reperiuntur. Thummius & ſocij.

1. Humana Chriſti natura infinitè, & infinito modo ſubſiſtit, D. Oſiander in Def. pag. 111. 123. 129. 132. 145. 186. 258. 411. & D. Thum. etiam in ταπ. pag. 416. 474. 486. & paſſim.

2. Finitum permeat infinitum, Oſiander in diſput. de Omnipræſ. theſ. 72. pag. 31.

3. Λόγος ſe carni penetrabilem fecit, D. Melch. in Conſiderat. pag. 45.

4. Caro eſt per gratiam, quidquid Verbum eſt per naturam; Conſiderat. pag. 172.

5. Sicut per ἰπςάσεως infinitatem ὁ λόγος, ita & per eandem, Caro Chriſti omnibus creaturis præſens ſtatuitur & aſſeritur, Oſiand. in Def. pag. 129.

6. Præſentiæ humanæ naturæ modus eſt ille ἀυτίπατος, modus, quo ὁ λόγος eſt vbique, &c. Def. pag. 192. Hæc & alia effata reperiuntur apud Thum. ipſiúſque ſocios: à quibus ſi toto corde Svvenckfeldianiſmũ impro-

bant, debent recedere. Nam verba sunt Symbola rerum, & signa τῶν παθημάτων ἐν ψυχῇ. Vnde & ὀνόματα à Philosopho rectè dicuntur μιμήματα. Et iudice Christo Matth. 12. v. 37. ex verbis nostris iustificamur, vel condemnamur. Et certè Dn. Saxonici in Refutat. lib. Staffortens. pag. 52. 77. meritò monent, quòd nouæ phrases (ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων non habentes, 2. Tim. 1. v. 13.) semper nouas res secum ferant. Nec satis est rectè sentire, sed & oportet, vt sanis verbis Domini nostri IESV Christi accedamus, 1. Timoth. 6. v. 3. Si ergo Thummius cum suis sanam mentem sub insanis istis verbis habet, tum retineat mentem, & corrigat linguam, & industriè notet, quod Dn. D. Hunnius Tom. 4. super cap. 4. ad Ephes. pag. 552. ait: DEVS loca omnia replet, sed illocali ratione; tametsi DEVS alia ratione, quàm Christus, quà homo. DEVS quidem per infinitatem essentiæ, per modum vnionis, & subsecutæ exaltationis ad dextram DEI personaliter. Et pag. 562. Quemadmodum neque (Grab.) proficit quicquam, quòd putat: Sicut corpus hominis non accipiat per vnionem cum animâ modum præsentiæ definitiuum: ita neque humanitatem Christi habere modum vllum alium ex vnione præter localem. Et sanè hactenus congruit

simi-

ſimilitudo, quatenus humana Domini caro per coniunctionem cum λόγῳ non ſortitur- rum repletiuæ præſentiæ modum, qui ex infi- nitate eſſentiæ naſcitur, & deſcribitur, &c. Confer ibid. pag. 566. 568. 569. Hoc 2.

III. Schvvenckfeldius in Confeſſione fidei ait: Homo Iesvs ſuo corpore, ſangui- ne, & carne totus eſt eius eſſentiæ, & po- tentiæ, cuius eſt Devs Pater, & coæternum & omnipotens eius Verbum ante incarnatio- nem fuit. D. Schlüſſelb. pag. 214. Schvvéck-feldius.

Hunc etiam Schvvenckfeldianiſmum Thummius cum ſuis, dicit ſe abominari: Et tamen ita prauè loquitur. Thummius.

1. Humana natura eſt ſuo modo cum Patre & Spiritu ſancto vnum (Ioan. 10. v. 30.) ταπ. pag. 91.

2. Quamuis humana natura in ſe & φυ- σικῶς neque mundum creârit, neque ante A- brahamum extiterit: ſecundùm id tamen, quod ipſi in vnitate hypoſtaſεως per commu- nicationem eſt propriiſſimum, & mundum creauit, & fuit ante Abrahamum. ταπ. pag. 179. & Exam, pag. 30. 31. Quod tamen in Re- petitione pag. 340. mutauit.

3. Corpus & animam Chriſti vocat duo infinita ταπ. pag. 473.

4. Inquit: Maieſtas diuina eſt vtriuſque

naturæ, diuerso licèt modo propria; ταπ. pag. 222. Idioma est simpliciter vnum, respectu vtriusque naturæ, & est vtriusque etiam naturæ idioma, quoad rem (diuerso licèt modo) per vnionem arctissimam & περιχώρησιν naturarum mutuam profundissimam, ταπ. pag. 229. Idiomata diuina per κοινωνίαν realem carni assumptæ propria facta sunt, in Admonit. pag. 23.

Contrà: Si idiomata cùm diuina, tùm humana, per vnionem personalem facta sunt vtriusque naturæ idiomata: Ergo vnio personalis non facta est seruatis naturis & earum proprietatibus illæsis. At hoc est falsum. E. Connexio propositionis probatur, quia v. g. si grauitas corporis per vnionem ipsius cum anima, euadit proprietas animæ: & viciſsim spiritualitas animæ, per vnionem ipsius cum corpore, fit proprietas corporis: Ergo anima facta est corpus: & corpus factum est anima. Sic si risibilitas propriè dicta, fit proprietas bestiæ: Ergo bestia facta est homo. Assumptio probatur vel ex Damasceno, lib. 3. cap. 3. 5. &c. Qui & lib. 4. cap. 4. ait: *Proprietas est immutabilis: aut quo pacto proprietas manere queat, si mutetur, & decidat?* Conferatur Dn. Schröd. in Sceptro, pag. 456. & seqq.

Hanc veritatem non potuit non animad-

uer-

uertere Thum. Et tamen potiùs suæ, quàm DEI gloriæ velificari percupiens, ita studuit sua effata, Schvvenckfeldianis affinia, incrustare, imò iustificare in Exam. pag. 8 9. vt ibi dixerit, sua ista verba nihil aliud, quàm hoc velle, maiestatem vnam vnicam illam & eandem numero, quæ diuinæ naturæ essentialiter propria est, homini illi in DEVM λόγον assumpto, per & propter vnionem hypostaticam ad euitandam omnem ἀλλοποιΐαν ἢ διϊτοποιΐαν diuinorum Idiomatum personaliter esse communicatam. Ast, inquam ego, tenor, vigor, & valor Thummianorum verborũ aliud indicat: Nempe maiestatem diuinam esse vtriusque naturæ propriam factam personaliter (quod & repetiit in Exam. pag. 34) & idiomata esse vtriusque naturæ idiomata. Multoperè verò differunt vnum numero, alteri esse per vnionem κατὰ συνδύασιν communicatum: & τὶ factum id esse alterius idioma. Sic eadem numero vita animæ communicatur corpori, animæ vnito. Ast ideò non fit proprietas Corporis.

O vtinam Thummius Formulam Concordiæ eiúsque Apologiam, ab ipsius nouitatibus immunes relictas studiosiùs sectaretur! illa enim pag. 763 ait: Quòd vnius naturæ proprietates essentiales nunquam alterius na-

turæ proprietates essentiales fiant: Hæc verò (quam totam à se approbari, nuspiam, quod sciam, publicè testatus est: nec id saluâ veritate, testari potest) cap. 4. pag. 73. b. inquit: Longè aliud est idioma fieri: & idioma communicari: idque pro ratione personalis vnionis, &c. Et pag. 74. a. Extra omnem controuersiam verissimum est, communicari, & idioma aut naturam fieri, in hoc negotio non esse eadem, &c.

Hæc si Thum. approbat (vti ea approbat in ταπ. pag. 676.) emendet præuaricantem suam linguam: Sin improbat, apertè incidit in Schvvenckfeldianismũ, & nunquam solidè dissoluet hanc instantiam Caluinisticâ, quam & Pareus profert in Method. Controu. Vbiquitariæ, pag. 20. Nec satis, inquit, tegitur hoc putidum vlcus, cùm dicunt, realiter quidem communicari idiomata Deitatis carni, sed non fieri, aut esse carnis idiomata. Si enim carni ita sint communicata, vt ea realiter habeat & vsurpet (sic enim loquuntur) quomodo negabunt, ea fieri aut esse carnis idiomata? Hoc 3.

Schvvenckfeldius. IV. Schvvenckfeldius in Confessione lit. G. & H. ait: Christus Iesvs, Dominus & Saluator noster, non tantùm secundùm Humanitatem, sed etiam secundùm Diuinitatem passus est & mortuus; D. Schlüsselb p. 107. 250.

Quid

Quid Thummius? vult oſor Schvvenckfel- Thummius.
dianiſmi eſſe & haberi. Et tamen cum ſuis o-
mnibus modis ſtudet hanc phraſin iuſtificare:
Deitas τȣ λόγȣ in aſſumpta carne eſt paſſa &
mortua: & ſic loqui nolentes accuſat Neſto-
rio-Caluino-Ieſuitiſmi. Vide eum de Maieſt.
Chriſti, pag. 125. 126. 127. &c. & pag 147.
148. D. Oſiand. in Defenſ. pag. 464. 465. 466.
D. Melch. pag. 189. Excipit equidem Thum.
in Repet. præfat. d. 3. ſe non ſtatuere, Chri-
ſtum eſſe paſſum ſecundùm Deitatem, ſi τὸ
ſecundùm proprietatem naturæ, ſeu ſubie-
ctum-quo deſignet. Quam cramben recoxit
in ipſa repet. pag. 58. & ſeqq. vt & pag. 171.
175. 453. 516. 532.

At obſeruet, quòd ne quidem ipſe
Schvvenckfeldius paſſionem & mortem di-
uinæ Chriſti naturæ tribuerit ex proprieta-
te naturæ, ſed reſpexerit ſuam Deificationem,
quam tamen malè intellexit. Meminerit et-
iam ſuorum verborum in ταπ. pag. 25. *To-
tus Chriſtus fuit inglorius, quoad vtramque na-
turam*, &c. Et pag. 147. Totus Θεάνθρωπος
Maieſtatis vſum reflexè, ſe in propriâ perſo-
nâ retraxit, vt totus in ſuis naturis, ſecundùm
humanam quidem inhæſiuè, ſecundùm diui-
nam verò appropriatiuè, pro ſalute generis
humani pati, & mori poſſet. Hæc ille. Qua-

ro frustra excipit, se non statuere Christum secundùm Deitatem esse passum & mortuum, ex proprietate Deitatis, (id enim inter nos & Caluinistas & Iesuitas non est controuersum, sed vtrinque negatur:) verùm quæritur: An dicendum, quòd Christus iuxta Deitatem suam passus & mortuus sit vigore personalis vnionis. Quod negamus vnà cum Dn. Theologis Electoralibus in Apolog. Formul. Concord. pag. 6. 33. 43. 53. 69. Si ergo Thum. idem sincerè nobiscum statuit, tum corrigat linguam, prout & Apolog. Form. Concord. ipsi præscripsit.

Schvvenckfeldius. V. Schvvenckfeldius in Confess. Mag. 2. part. scribit: Christus iuxta suam humanam tantùm naturam est mortuus, falsum est, quia DEVS & Homo in passione diuiduntur. D. Schlüsselb. pag. 213.

Thummius. Quid Thum? Ipsius chartæ scatent & fœtent hac obiectione, à diuisione istâ petitâ. Confer ταπ. pag. 126. & seqq. 188. 682. &c. Discat autem saniorem sententiam à Dn. etiam Saxonicis Theologis in Apol. pag. 629. &c. 692. 774. 775. 776.

Schvvenckfeldius. VI. Deniq; Schvvenckfeldius scriptitat in Confess. fidei: Christus totus iuxta vtrasque vnitas naturas est vnius essentiæ cum Patre, & Spiritu sancto. Et in vno gradu, dignitate, potentiâ, essentiâ, maiestate, honore, pror-

prorsus æqualis est DEO Patri. Et in Confess. Magn. 2. part. Æquales sunt nunc in gloriâ naturæ Christi, D. Schlüsselb. pag. 29.

Quid Thum? Verbis quidem amolitur à se exæquationem Schvvenckfeldianã in ταπ. pag. 639. &c. Et tamen apud ipsum & ipsius symphiletas hæc præloquia, quæ Schvvenckfeldius si audiuisset & legisset, toto probasset pectore, reperiuntur. Thummius.

1. Non absurdum est, carnem quoad essentiam diuinam communicatam ἐξοχῆς κ̀ ἀξίας ratione, dici æqualem DEO, ταπ. pag. 639. idem. ibid. Communicatam essentiam attendo, τροπὴν seu conuersionem & immutationem Eutychianam detestor, æqualitatem carni assumptæ hypostaticam assigno, naturalem ad orcum damno.

2. Ad ὁμοουσίαν κ̀ ἰσότητα quod attinet, dico, licet humana natura in se actu naturæ non sit ὁμοούσιος καὶ ἴσος (pro ἴσοι) DEO Patri essentialiter ταπ pag. 885.

3. De Maiestate Christi, pag. 228. Humana natura non est minor Patre, quoad actum primum existentiæ personalem.

4. Quod ad potentiam & maiestatem attinet, his Diuinitati humanitas eo modo exæquata dicitur, quòd realiter eam maiestatem & potentiam Filius DEI cum assumptâ

naturâ

naturâ communem habeat. D. Melch. pag. 152.

5. Christus (vt homo puta; hæc enim mens est D. Melch.) essentiâ suâ, immenso infra DEVM interuallo subsidit, & tamen ex vnione personali communicatam habet maiestatem eandem, quæ τῷ λόγῳ est, & hactenus est æqualis τῷ λόγῳ. D. Melch. pag. 154.

Qui ibi 6. ita pergit: At excipis: Modum habendi ostendere discrimen: τὸν λόγον esse omnipotentem per naturam, assumptam humanitatem per vnionis gratiam: Ideo non esse æqualitatem. At, inquam ego, æqualitas rebus nititur, non habendi modis, &c. Plura iam prætereo, & Lectori candido iudicium committo, num nos foueamus Schvvenckfeldianismum, & an non iustam causam habuerim monendi Thummium, cum iis qui ipsi pollicem hîc premunt, ne talia semina spargat, quibus subortis, non possit satis solidè Schvvenckfeldianismum refellere. Quam admonitionem ab omni vitilitigandi & cauillandi studio longè remotam candidè accipi, etiam atque etiam peto.

Hactenus Feürbornius Hassiacus Darmstattensis Vbiquista, ad quæ prudens Lector Lutheranus cohorrescat, cùm videt Wirtenbergia, testimonio Saxonicorum & Hassiacorum,

eorum, alere tam monstrosos Prædicantes, qui tam execrandam doctrinam tradiderunt, de qua publicè traducuntur à suis Symmystis, & Concordiæ fratribus: Quæ abundantissima causa cuilibet Lutherano cordato meritò fuerit, deserendi tam pestilentem religionem, quæ in Christo vtramque naturam, & Diuinam, & Humanam euertit. Annon hoc est Diuinitatem euertere, si dicas, *Deitas, seu Diuinitas est Humanitas?* & è contrario *Humanitas est Deitas?* Ista peruersissima pronuntiata Thummio adscribit Feurbornius, quæ in Thummij libris, à sociis illius fuerunt approbata & defensa; & in hodiernum diem stant in Wirtenbergia ab ipsis authoribus nunquam retractata, nunquam reuocata.

Neque tamen putandum est, Hassiacos & Pupillistas Saxonicos ab omni errore esse immunes; de quibus egimus in *Prolegomenis* superiùs §. 3. circa finem; vbi ostendimus, illos non minùs absurda, & impia defendere per hanc Vbiquitatem.



CON-

CONCLVSIO TOTIVS HVIVS Tractatus.

EX his Testimoniis Orthodoxorum Patrum, & antiquorum Doctorum euidens est, Catholicam Ecclesiam nunquam vel tradidisse, vel recepisse Vbiquisticam hanc doctrinam:

I. Quia vnanimi consensu omnes Orthodoxi ab ipsis vsque Apostolis, ita S.Scripturam sunt interpretati, vt dicerent, Christum propriè ac verè hominem esse, per omnia nobis, secundùm humanam naturam, similem, absq; peccato; ideò loco circumscriptum, & de loco in locum, per suam substantiam verè mobilem; quod fieri non posset, si esset Vbique, & in omni loco secundùm substantiam præsens; quia non posset deserere locum A. & transire in locum B, quandoquidem iam vtrumque locum secundùm substantiam reipsâ occuparet. Neque ob aliam causam DEVS dicitur non posse moueri, nisi quia est immensus & Vbique. Ac licèt per sophisticationes aliqui hoc argumentum conarentur eludere; repugnaret id tamē toti Orthodoxæ Antiquitati, quæ semper censuit Christi Humanitatem secundùm substantiam esse verissimè motam, & de loco in locum translatam, deserto

vno

vno loco, & adquisito alio: quo apertè significarunt, non fuisse Vbique.

II. Non valet distinctio, Christum potuisse moueri per præsentiam visibilem; per inuisibilem autem præsentiam, quâ Vbique fuerit, non potuisse moueri. Hanc enim inuisibilem omnipræsentiam Humanitatis Christi, Orthodoxi Patres ne per somnium quidem agnouerunt; sed impossibile iudicarunt, vt eadem Humanitas Christi, simul in eodem loco, & tempore, sit visibilis & non visibilis; circumscripta loco, & non circumscripta: quia esset verissima contradictio, quæ nullâ Dei potentiâ est possibilis: vt benè aduertit Gregorius de Valentia, lib. 3. de Controuersia Vbiquetaria, fol. 308. col. 2. edit. Lugdun. in med. fol. quod tamen fieri oporteret, si esset simul Vbique inuisibiliter, & in certo loco visibiliter.

III. Hæreticum dogma est, quod modum vnionis duarum naturarum in Christo ponit, pugnantem cum fidei confessione, facta in Concilio Chalcedonensi, per hæc verba: *Credimus IESVM Christum Dominum Vnigenitum in duabus naturis inconfusibiliter, inconuertibiliter, indiuisibiliter, inseparabiliter agnoscendum, nulla naturarum differentia sublata propter vnionem; sed salua magis vtriusque naturæ proprietate.*

Sed

Sed dogma Vbiquistarum, cùm affirmant, ineffabili & arcano modo Christum secundùm Humanitatem esse omnipræsentem, omnipotentem, &c. manifestè ponit modum vnionis, pugnantem cum hac Confessione Chalcedonensis Concilij. Nam proprietates Diuinæ naturæ ita tribuuntur Humanæ; vt fiant vtrique naturæ communes; & de Humanitate non minùs diuina affirmari possint, quàm de Diuinitate; quemadmodum in prolegomenis §. 1. explicatum: Nam manere vtramque naturam inconfusam, est, vt de natura humana solùm affirmare possis, quæ sunt humana; & de diuina, solùm quæ sunt diuina. Atqui secundùm Vbiquistas, de natura humana in abstracto etiam affirmantur diuina, quo fit manifesta confusio naturarum.

IV. Etiam ex eo clarissimum est, SS. Patres non agnouisse Vbiquitatem Humanitatis Christi, quòd omnes communi sensu affirmauerint, animam Christi in morte verè deseruisse corpus, &, illo in sepulchro relicto, illam reipsa & actu ad inferos descendisse, ac tertio die ad corpus in sepulchrum rediisse; licet neque illa, neque corpus fuerint separata seorsim hypostaticè à Verbo per illud triduum: Ex quo euidens est, malam esse consequentiam, si dicas: Quidquid est

 in-

indiuisibiliter vnitum Verbo, illud ibi est, vbicunque Verbum est. Verbum enim licet illis tribus diebus fuerit Vbique, adeóque & in inferno, & in sepulchro; & in corpore, & in anima: attamen nec corpus fuit in inferno; nec anima tunc fuit in sepulchro, iuxta Orthodoxam Antiquitatem, tametsi & anima & corpus fuerit seorsim vnitum Verbo. Et hoc adamantinum telum nullis distinctionibus localis aut illocalis, visibilis aut inuisibilis præsentiæ, ab Vbiquistis potest repelli, aut de SS. Patrum manibus extorqueri.

Hæc considerent Vbiquistæ, & facilè conspicient, falsum esse commentum Gerlachij, qui apud Busæum in Apologetico Disput. de persona Christi, fol. 349. edit. 2. ait, SS. Patres tantùm negare naturalem Omnipræsentiam Humanitatis Christi, quam habeat ex natura sua, non autem supernaturalem, quam habeat ex vnione hypostatica. Quia SS. Patres non tantùm Humanitatem Christi secundùm se, & ex suâ naturâ, negant esse omnipræsentem, sed etiam vt est vnita Verbo, tam in hac vita, quàm in altera, etiam nunc in cælo, vbi omni gloria & maiestate ornatam, dicunt manere loco circumscriptam; vt pulcherrimè fatetur Theodoretus in Dial. 3. his verbis: *Corpus Dominicum surrexit quidem à corruptione & interitu alienum, & impassibile &*

T im-

immortale, & diuinâ gloriâ glorificatum, & à cælestibus adoratur potestatibus: corpus tamen est, & habet, quam habuit priùs circumscriptionem. Certè Patrum nullus est ex omnibus in hac *Testificatione* allegatis, qui vel verbulo vno indicârit, se agnoscere hanc nouam Vbiquistarum distinctionem; nempe carnem Christi ratione proprietatis naturalis esse circumscriptam, & loco definitam, vnde visibili modo ad iudicium venturus sit: ratione tamen supernaturali, inuisibili, & diuina esse incircumscriptam & omnipræsentem; sed contrarium ex eorum sententiis manifestè concluditur: qui supernaturalem hanc & inuisibilem omnipræsentiam neutiquam tacuissent, si illam reuerà existere censuissent.

Adhæc ipsi Vbiquistæ negant Christum nunc in cælo, quà homo est, etiam secundùm proprietatem naturalem contineri loco corporeo & visibili. Non igitur possunt dicere, illum secundùm naturales proprietates corporis mansisse circumscriptum. Et hanc præsentiam localem naturalem Christi in cælo, Brentius perspicuè in Recognitione pag. 43. *puerilem esse cogitationem* affirmat, & Schmidelinus in Apolog. 63. negat, Corpus Christi esse *Physicum, & moueri de loco in locum.* Quomodo ergo est circumscriptum?


V. His accedat horribilis dissensio Vbi-

qui.

quistarum inter sese; tùm antiquorum, tùm recentium, quemadmodum in Prolegomenis vidimus; vt in hodiernum diem nihil certi constet, quænam sit illorum sententia de modo, quo afficiat intrinsecè diuina & increata omnipræsentia Humanitatem Christi, eíque effectum formalem tribuat, vt ab illa verè & realiter possit denominari. Quæ summa dissensio vel sola hominem ingenuum iure optimo faciat perplexum, & à tota Vbiquitate, simul & à Lutheranismo auersum & abhorrentem. In quo finem facio

Ad maiorem DEI, & Verbi incarnati gloriam.

Sacro-Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ iudicio omnia subiecta sunto.



Errata.

In Dedic. fol. 7. col. 1. v. 10. Vbiquitanos. l. Vbiquitarios.

Fol. 10. v. 10. adeptus. l. adeptum.

52. v. 7. à fin. πανολεδρίαν. l. πανολεθρίαν.

268. v. vlt. Wirtenbergia. l. Wirtenbergiam.

